This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lc 40 721

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Lc40.721

Harvard College Library.

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 7 November, 1895.

DE

M. TULLII CICERONIS AD M. BRUTUM

ET

BRUTI AD CICERONEM EPISTOLIS,

QUAE VULGO FERUNTUR.

SCRIPSIT

AUGUSTUS WILHELMUS ZUMPTIUS.

BEROLINI.

E. H. SCHROEDER.

1845.

Le 40.721

HARVARD COLLEGE
NOV 7 1895
LIBRARY

Constantius fund.

CAROLO TIMOTHEO PATRUO AUGUSTUS WILHELMUS S. P.

Fieri solet, mi patrue, itaque naturae humanae vel constantia vel imbecillitate comparatum est, ut, quod quisque sibi studium elegerit, in quo elaboret, in eo non modo seria sua ponat, verum ab eodem, si quando festa occasione relaxare animum et genio indulgere velit, discedere nec queat nec cupiat. Quare Tibi nataliciis Tuis, quae a. d. XIII. Kal. April. instant, non gratius ullum munusculum a me offerri posse existimavi, quam si hanc disputationem de epistolis, quae vulgo M. Tullio et M. Bruto tribuuntur, Tuo nomini dedicarem, ut in gratulatione ipsa Tibi aliquid exhiberem, a quo novum vitae annum rectissime auspicarere. Agitur enim a me non modo maxima res et dignissima, in qua versentur omnium ingenia, qui in latinitate intelligenda et judicanda aliquid valeant, verum etiam ea quaestio, quam per centum fere annos una omnium virorum doctorum in damnando consensione quasi sepultam nuper C. F. Hermannus repetiverit, vir omnis antiquitatis peritissimus, a cujus auctoritate qui dissentire velit, magnas et justas causas habere debeat. Quamquam

ut Tuum potissimum nomen huic libello inscriberetur, non opus erat aut illa nataliciorum occasione aut nostra, qua vix ulla copulatior esse potest, necessitudine. Ea enim in litteris antiquis auctoritate uteris, ut, si quis talem, qualis haec est, disputationem instituat, ejus judicium merito omnes ad Te maxime pertinere arbitrentur. Accedit quod, cum et ei, contra quem disputatur, amicissimus et ei, qui disputat, non genere modo et affinitate, verum, id quod in hac quidem causa magis spectandum est, etiam disciplina et institutione conjunctissimus sis, secundum utramcunque partem pronuntiaris, id nullo hominis studio, ex re ipsa et veritate judicasse videbere. Quae cum ita sint, hunc libellum, non tam contra praestantissimum Romanorum scriptorem quam pro eo susceptum, et litterarum communium causa et pro mea erga Te pietate et amore Tibi deberi existima. Vale.

Scripsi Berolini a. d. III. Id. Mart. ann. 1845.

Litterae nostrae cum ab admiratione et imitatione antiquitatis tandem eo deductae essent, ut judicare de veteribus scriptoribus et fas esse putaretur et necesse, coepit ab Richardo Bentlejo maxime, viro sagacissimo eodemque prudentissimo, cupiditas quaedam ea, quae ab antiquitate profecta erant, non examinandi sed impugnandi. Fit enim fere, si quis in aliqua re excellit, ut multi eum sectentur, qui dum incautius agunt, eodem studio, quo ille laudem invenerat, ipsi justam vituperationem subeant. Nec illa cupiditas, quam dixi, locis scriptorum vel emendandis vel corrigendis continebatur, sed translata est ad totos libros, quos aut ad alios auctores ac quibus vulgo tribuerentur, pertinere existimarent aut omni antiquitate indignos esse judicarent. Hoc studium quos fructus tulerit, non est hujus loci exponere: sed illud apparet, eo animos antea caeco quodam omnium rerum antiquarum amore captos in libertatem esse vindicatos reditumque iis ad se et ad suas vires esse paratum. Quamquam idem illud studium, ad minutias et ad conjecturarum temeritatem traductum, quantam prope dixerim infamiam universis nostris litteris apud homines minus peritos contraxerit, saepe etiamnunc, cum non multae ejus supersint reliquiae, cognoscere licet. Hoc autem tempore invadit contraria cupiditas, quae vereor prope, ne majus etiam detrimentum nobis nostrisque rebus afferre possit, haec quidem, ut tueri ea, quae tradita sunt, omni ratione malint, et quae quondam laus ab impugnandis maxime veteribus scriptoribus quaerenda esse videbatur, eam nunc nisi defendendis inveniri non posse arbitrentur. Documenta ejus cupiditatis sunt editiones sane non paucae criticae, quae vocantur, quarum auctores cum codicibus, rei omnium fallacissimae, in servitutem se addixerint, judicium suum veritatemque ipsam prodere malunt, quam discedere ab eo, quod per tristissimorum temporum tenebras et stultissimorum hominum manus corruptum ad nos pervenit. Qua ratione cum hoc efficiatur, ut scriptores veteres nisi a peritissimis recte legi nequeant, quantopere studia plurimorum hominum a litteris nostris deterreri necesse sit, non opus est dicere. Idem autem studium ardere cum maxime in totorum librorum fide judicanda videtur. Non dicam de Graecis, sed consistam in Latinis. Ciceronis

orationes Catilinarias omnes tueri nuper instituit Nicolaus Madvigius, elegantissimus latinitatis judex: ejusdem Ciceronis orationes quinque, quas F. A. Wolfius damnarat, cum antea fuerint nonnulli, qui defenderent, nunc sunt plurimi: contra Cornelium Nepotem constat acerrime pugnari ab iis, qui judiciis intelligentissimorum latinitatis auctorum contemptis praeclare sibi agere videntur, cum elegantissimas antiquitatis reliquias ad infimae latinitatis tempora traducunt, dummodo codicum et librariorum fidem ne spernere videantur. Atque extitit adeo ante paucos menses G. E. F. Lieberkühnius, qui ineptissima actorum diurnorum fragmenta, ab homine et fallaci et imperito ementita, verissima et gravissima antiquitatis monumenta esse persuadere conaretur. [1])

Quae cum ita sint, quo nostrae aetatis ingenium ferat, dubium esse non potest. Quamquam hanc rationem tantum abest ut equidem rejiciam aut contemnam, ut eam, si cum modestia aliqua adhibeatur, nec eo pertineat, ut philologi judicium suum prodere jubeantur, unice et veram et salutarem esse existimem; nimium enim facile animus, suae potestati permissus, a vero aberrat. Quare minime, mehercule, vitupero equidem C. F. Hermannum, virum clarissimum, qui cum ante paucos menses ad academiam Albertinam Regiomontanam gratulandi causa scriberet [2]), disputationem instituit doctissimam, qua Ciceronis epistolarum ad M. Brutum, quae supersunt, patrocinium suscepit easque ab injuria Anglorum, qui primi et uni, praeter breves quidem nonnullas aliorum virorum doctorum significationes, falsas eas et Ciceroniano nomine indignas esse demonstrarunt, vindicare coepit. Cujus viri doctissimi cum tanta sit in omni nostrarum litterarum genere auctoritas, ut facile etiam dissentientes moveat meritoque, quocunque accesserit, magnum momentum afferat, non fecissem, ut haec contra ejus sententiam scriberem, nisi ipse provocasse magis aliorum de eadem re disputationes quam aut omnia, quae in hoc genere quaerenda sunt, aut partem certe aliquam totam persecutus esse videretur. Cum enim in libri alicujus veteris fide vel impugnanda vel defendenda duae res spectandae sint, primum ea, quae narrantur, num vera aut probabilia sint, deinde num oratio dicendique genus ei scriptori et tempori, cui tribuitur, conveniat, C. F. Hermannus ex altera hac parte quaedam ita tractavit, ut magis peccasse alios nonnunquam, quam bene et latine scriptas esse has de quibus agimus epistolas persuaserit. Accedit, quod cum ejus disputationem legebam, interimque ipsis epistolis tractandis manifesta ubique

1) Titulus libri est: *Vindiciae librorum injuria suspectorum. Lipsiae* 1844. Insunt epistola critica de vetere diurnorum actorum fragmento Dodwelliano, data ad Victorem le Clercium Parisiensem et defensio Cornelii Nepotis contra Aemilium Probum, librarium. In illis actis diurnis fraus adeo manifesta est, ut jure mirere, qui fieri potuerit, ut aliquis latinitatis peritus et in inscriptionibus latinis mediocriter versatus pro veris ea defendere possit, praesertim admonitus aliorum dubitationibus.

2) Inclitae academiae Albertinae Regiomontanae tria saecula feliciter peracta gratulatur bonaque vota facit Georgia Augusta interprete Car. Frid. Hermanno. Insunt vindiciae Latinitatis epistolarum Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem. Göttingae 1844.

et rerum et sermonis vitia deprehendebam, dubitare saepe solebam, an simulatione quadam uteretur vir doctissimus. Neque enim usquam hoc dicit, veras illas sibi videri M. Tullii et M. Bruti epistolas. Qui ubi a principio multa questus est de injuria Anglorum deque injusta ceterorum virorum doctorum contemptione, sic pergit p. 5: *Quae cum ita sint, quantae aleae opus suscipiat, si quis post tot tantorumque nominum judicia non reum aliquem, sed damnatum et tantum non extremo supplicio affectum librum defendere ejusque auctoritatem velut postliminio reducere conetur, haud me fugit.* Jam certum aliquod judicium possis expectare: verum huc devenit oratio, ut haec dicantur p. 6: *nefas fore duxi, nisi doctorum oculos aliquando ad miserum exulem revocassem instauratoque judicio illud certe disceptari jussissem, num ea argumenta, quibus artis criticae tum aurora contenta fuit, hujus quoque aetatis meridianae luci sufficiant* [1]). Potest autem fieri, ut idem homo aliquam rem et male impugnatam esse ab aliis intelligat et eam tamen falsam esse judicet. Quo magis obviam eundum existimavi, ne quis ipsa Hermanniani nominis auctoritate etiam parum accurate expressa deceptus minus vere existimaret.

Jam antequam nostra incipiatur accusatio, breviter causa ipsa constituenda est. Primam de his epistolis dubitationem anno 1741, movit Jacobus Tunstallus, collegii Cantabrigiensis socius. Qui cum eodem anno Conyers Middleton notum illum librum edidisset de vita M. Tullii, multis erroribus refertum, partem auctorum, quibus ille usus erat, i. e. Ciceronis epistolas ad Atticum et ad Q. fratrem examinavit, et quantopere in iis Middleton peccasset, ostendit. Adjun-

---

1) Pergit Hermannus sic: *Nam, ut dicam, quod sentio, nemo eorum, qui ad hunc usque diem secus de his epistolis existimarunt, ad eam quaestionem aut incorrupta opinione aut data opera aut idoneis subsidiis instructus accessisse videtur; quorum plerosque consentaneum est Tunstalli Marklandique libros, rarissimos illos et peregrina lingua conscriptos, ne oculis quidem unquam usurpasse; sin qui viderunt, aut taediosissimae disputationis salebris et ambagibus defatigati in ipso itineris fine acquieverunt, aut minaci illorum confidentia territi tanto verborum testimoniorumque molimini cedere tutissimum duxerunt, aut ipsi velut contagione aliqua infecti laeti libentesque in injuriae societatem venerunt. Neve quis durius haec dicta putet, unum moneo, per hos centum annos omnes quidem has epistolas pro suppositiciis sprevisse, argumentum tamen, quo id probaretur, — ne unum quidem amplius, quantum equidem scio, prodisse etc.* In quibus vere dixerit Hermannus, a paucis perlustratos esse Anglorum libros, verum quod temeritatem quandam judicii viris doctis exprobrat, qui argumenta nulla nova protulerint, potest id alia ratione explicari. Nimirum fieri poterat, ut, qui audissent tantum epistolas illas damnari ab Anglis, cum legerent, ipsi a nullo admoniti manifesta fraudis indicia deprehenderent itaque non caeca aliqua temeritate, sed certis et cogitatis rationibus judicarent. Nec opus erat nova argumenta afferre. Quid enim aggrederentur eum, quem nemo jam defenderet? Quasi vero in libro ementito errorumque pleno multum elaborare jucundum sit, praesertim cum tantus aliorum scriptorum campus pateat! Hanc causam plurimorum, qui a Cicerone has epistolas profectas esse negarunt, fuisse cum probabile sit, tum in Ruhnkenio, viro cum in omni re prudentissimo tum ad damnandum lentissimo et prope anxio, certum videtur esse. Is enim ad Vellejum II, 12 *ego vero*, inquit, *Marklando et Jacobo Tunstallo facile assentior Ciceronis ad Brutum et Bruti ad Ciceronem epistolas esse confictas.* Unde quis non intelligit, non tam Anglorum quam suis rationibus motum ipsum judicasse?

xit huic disputationi quaestionem satis amplam de epistolarum Ciceronis ad M. Brutum Brutique ad Ciceronem αὐθεντίᾳ, ut dicit [1]). Scriptus liber est modeste et remotus ab omni arrogantia [2]). Argumentis utitur Tunstallus, quamquam et in rebus et in dicendi genere multa vitia se animadvertisse dicit, plerumque historicis: notantur primum nonnulla secundum epistolarum ordinem, tum homines, quorum res et causae in iis commemorantur, recensentur, et in singulis quid peccatum sit, ostenditur. In hac parte multis documentis et testimoniis utitur: in dicendi genere quae vituperantur, leviter magis significantur quam explicantur. Cui libro cum respondisset Middleton editione epistolarum, quae biennio post Londinii prodiit, veteres errores repetens, et ipse Tunstallus paulo post anglice edidit *observationes de collectione epistolarum Ciceronis et M. Bruti,* quibus nonnulla manifesta indicia fraudis exponebantur, et biennio post extitit Jeremias Marklandus, item Cantabrigiensis, qui cum Middletonem quam nihil valeret arte, quae dicitur critica, prorsus perspexisset, confirmatus praeterea Tunstalli auctoritate, confidentius jam et acerbius agere coepit [3]).

Qui cum triplicem divisionem quaestionis suae instituisset, ut primum ex ipso dicendi genere, deinde ut ex rebus, quae narrantur, denique ut ex mala ratiocinatione sententiarumque pravitate fraudem demonstraret, eum locum, qui medius est, minus accurate exposuit, quem quidem prope totum a Tunstallo occupatum intelligeret: in latinitate examinanda praecipua ejus vis posita est. Post Marklandum nemo, quantum sciam, paullo illustrior in nostris litteris fuit, quin sive quia illi credebat sive quia ita sibi ipse tacitus persuaserat, epistolas illas contempserit [4]).

---

1) Titulus libri est: *Epistola ad virum eruditum Conyers. Middleton, vitae M. T. Ciceronis scriptorem; in qua, ex locis ejus operis quam plurimis, recensionem Ciceronis epistolarum ad Atticum et Quintum fratrem desiderari ostenditur; de illarum vero, quae Ciceronis ad M. Brutum, Brutique ad Ciceronem vulgo feruntur, epistolarum* αὐθεντίᾳ *nonnulla disseruntur. Auctore Jacobo Tunstall etc.* Cantabrigiae 1741. De his Ciceronis Brutique epistolis disputatur p. 192 usque ad p. 253.

2) Verba ejus haec sunt p. 192: *Qua quidem de re scio quanta cum verecundia agendum sit, cum non solum contra opiniones hominum jam diu inveteratas, sed contra plurimorum etiam voluntates mihi sit futura concertatio,* itemque in fine quaestionis p. 251: *Ego interim mihi nequaquam tantum arrogo, ut quod longe doctiores maximaque cum laude in Ciceronis rebus scriptisque exercitati non vidistis, id me jam primum vidisse fidenter affirmem. Rationes ex rebus ipsis atque epistolarum ipsarum ingenio depromptas - libere atque ingenue proposui.*

3) Titulus ejus libri est: *Remarks on the epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero: In a letter to a friend etc.* London 1745.

4) Excepit tamen Marklandus ex damnationis lege, qua ceteras epistolas comprehendit, duas, eam, quae prima est primi libri, quae nec vitium haberet ullum et cujus sententia prima citaretur apud Nonium p. 421, 31, tum eam, quae est octava libri ejusdem, in qua nihil inveniret, quod vituperaret, sed hanc quidem alteram dubitanter et ita, ut falsam esse posse concederet. Id, si constare sibi volebat, facere non debuit. Si enim falsarius ille, qui has epistolas finxit, ex veris Ciceronis epistolis composuit, fieri etiam

Jam C. F. Hermannus cum in causas hujus damnationis inquireret, atque in latinitatem, quae prima se offert legenti, animum advertisset, necessario factum est, ut in Marklandum incideret, cujus rationem qui noverit, non mirabitur, multa illi in eo displicuisse. Est enim ex eo genere criticorum, qui tantum intelligunt, ut in locis difficilioribus offendant, sed non intelligunt tantum, ut suum cuique relinquendum esse videant. Quare dum omnia ad unam et suam normam conformare volunt, fit, ut ex decem emendationibus, quas proponunt, vix una aut altera probabilitatis aliquam speciem habeat [1]). Accedit quod nullum criticorum genus solet esse arrogantius; nam cum ipsi sentire videantur, quantulum argumentis valeant, demirando et stultos appellando, si qui aliter judicare audeant, rationem quasi terrere ac vincere consueverunt. Haec igitur et dubitationem justam et stomachum moverunt Hermanno, ut injuriam factam esse Ciceroni arbitraretur, ejusque causam denuo suscipere statueret. Quem dum acrius ulciscitur, idem ei videtur saepe accidisse, quod in Marklando vituperavit, ut minus recte judicaret eaque Ciceroni tribueret, quae ab eo profecta esse nequeunt.

Haec antequam ipsi nostram de latinitate harum epistolarum disputationem instituamus, persequemur, ita quidem, ut secundum ordinem libelli Hermanniani, quae recte in eo defensa esse existimemus, praetereamus silentioque quasi comprobemus, ea modo, quae Marklandus recte videatur observasse, denuo examinemus.

In epistola duodevigesima primi libri consilium quasi quoddam habitum esse fingitur apud matrem M. Bruti, utrum utile esset eum in Italiam cum exercitu celeriter advenire nec ne. Ibi haec sunt: *At illa* (i. e. mater Bruti) *retulit quaesivitque quidnam mihi videretur: arcesseremusne te atque id tibi conducere putaremus an tardare et commorari te melius esset.* In eo loco Marklandus p. 111 vituperarat usum verbi tardandi, quod negabat apud ullum scriptorem latinum ante saeculum fere tertium intransitive dici. Contra Hermannus p. 14 ipsum Ciceronem ad Att. 6, 7, 2 intransitive dixisse disputavit: *Tu tamen mitte mihi, quaeso, obviam litteras, numquid putes reipublicae nomine tardandum esse nobis* [2]). Ita demonstravit ille quidem, lati-

---

potuit, ut inde totam sententiolam sumeret; nec si in parva aliqua epistola ex genere commendaticiarum non est peccatum, sequitur, ut a Cicerone profecta sit. Cur enim non possit aliquis paucos versus ita scribere, ut fraus animadverti nequeat?

1) Hoc fuisse Marklandi ingenium ipse Hermannus demonstrat p. 8. Quod utinam ei crederent omnes viri docti, imprimisque Batavi, ad quos nunc illa licentia critica, ipso tempore aucta et amplificata, videtur pervenisse. Nam certe Virgilio Peerlkampiano nihil potest cogitari magis temerarium, in quo quis non doleat tantum studii tantumque acuminis consumptum esse, ut tam nihil efficeretur?

2) Quod ejusdem rei causa Virgil. Aen. 10, 57: *Simul hoc dicens attollit in aegrum se femur, et quamquam vis alto vulnere tardat, haud dejectus equum duci jubet,* affert Hermannus, dupliciter minus recte videtur facere. Nam, si Virgilius intransitive diceret tardare, id nihil valet ad latinitatem Ciceronianam demonstrandam, quoniam ipsum aureae quae dicitur latinitatis ingenium est, ut inter scriptorum et inter poëtarum di-

num esse, quod in epistola hac legatur *tardare*, sed incidit in eundem errorem ac Marklandus, cum verbi tardandi intransitivam significationem esse statuit. Nimirum *tardare* cum significet *efficere* ut tardum aliquid sit, potest fieri, ut nonnunquam id, quod tardum fit, non addatur sed supplendum relinquatur audienti. Ex eo genere et Ciceronianus locus, quem modo dixi, est, et is, quem ex Vulcatio Gallicano in vita Avidii Cassii c. 10 ad intransitivam significationem demonstrandam affert Marklandus: *ad quas* (litteras) *rescribam, si tardavero, per Caecilium senem.* Similesque sunt alii omnes, qui ex eo genere afferri possunt, ut Plin. 11, 11, 11 *Apes fucis imperant primosque in opera expellunt, tardantes* (i. e. opus) *sine clementia puniunt* [1]). Nec ea ratio in simplici solo valet, sed eadem in composito *retardare*, quod non raro absolute, ut dicitur, ponitur, nunquam intransitive [2]). Idemque omnino in omnibus verbis transitivis fit, quae sicubi quis videat non addito accusativo poni, quis dicat continuo intransitive usurpari [3])?

---

cendi genus certum aliquid intersit, cum argentea et alia et poëtarum propria admittat. Nec omnino Virgilianum illud ita explicandum est, ut vim tardam fuisse dici putemus. Quis enim ita *de vi tarda* audivit? Vires quidem imminutae erant, at tardus ipse homo ejusque membra, itaque Virgil. Aen. 2, 436 *vulnere tardus Ulyxi*, ejus imitator Silius 4, 622 *tardata morantur vulnere membra virum;* Ovid. Metam. 13, 81 *nullo tardatus vulnere.* Quare h. l. potius sic intelligendum: *Vis tardat hominem, Mezentium.*

1) Affert etiam Caesar. bell. Gall. 2, 43 Hermannus: *ut multitudine et onere nonnulli deprimerentur, reliqui ob timorem propius adire tardarentur,* ubi *tardarent*, quod in bono quidem codice est sed nec optimo et uno, propter soni elegantiam praeferendum esse censet, quia praecedat altera forma passiva. Quae soni lex si constituetur, vereor, ne multi aut veterum scriptorum loci emendandi sint aut librariorum errores pro veris lectionibus recipiendi.

2) Unus enim locus apud Cic. de nat. deor. 2, 20, qui ex eo genere in lexicis affertur, item intellecto aliquo objecto explicandus est.

3) Unum igitur hoc verbum tardandi non esse positum contra vulgarem usum demonstravit Hermannus, sed quam inde non possit colligi, aut omnes epistolas has aut unam hanc, in qua legitur, aut denique ipsum illum locum a Cicerone scriptum esse, insigne hoc videtur esse exemplum. Marklandus enim cum sentiret, jure posse in illo loco offendi, erravit in eo, quod vituperaret. Primum igitur illa verba *retulit quaesivitque,* sollemnia in senatu, qui a magistratibus consulitur, vide quantopere declamatori potius conveniant quam Ciceroni rem ipsam eleganter quidem, at simpiciter explicanti, non flosculos ubique oratorios captanti. Quanto ille melius in simili argumento ad Att. 15, 11, quam epistolam non sine causa hoc loco expressam esse Marklandus suspicatur! Tum *tardare et* commorari *te melius esset* non est rectum. Nam et commoratus erat M. Brutus in Graecia et tunc ipsum commorabatur, quare certe *diutius* addendum erat. Nihil enim aliud commorari apud omnes bonos quidem scriptores significat, nisi versari in aliquo loco, vel, translata significatione, versari in aliqua re tamquam in loco aliquo. Nec omnino *commorari* voluisset Cicero Brutum, in quo non tam quiescendi quam otiandi notio inest, sed expectare, dum tempus opportunum venisset. De reliqua epistola possim multa addere, quam non sit aptum, quod ad Bruti utilitatem referuntur omnia, ad rempublicam nihil, quam declamatorie deinde oratio ad belli mala explicanda, ad consilia pristina de Octaviano reprehendenda descendat, quas res Cicero verus poterat attingere, exponere multis verbis ad M. Brutum inutile erat. Sed et longum id est et peritis significasse satis est.

In primi libri sexta decima epistola Hermannus Marklando dupliciter injuriam facit, quia et id quod praecipue ille vituperarat, silentio prorsus praeterit et ea quae habet nimis cupide videntur esse disputata. Queritur Brutus ad Ciceronem, quod nimis magni et multi honores in Octavianum conferantur: se multo majus facinus ausum esse Caesare occidendo, cum ille Antonium modo, multo minus timendum, quam Caesar fuerat, ab urbe averterit. Pergit sic: *At vide, quanto diligentius homines metuant quam meminerint, quia Antonius vivat atque in armis sit. De Caesare vero, quod fieri potuit ac debuit, transactum est, neque jam revocari in integrum potest.* In iis Marklandus p 206 leviter et aliud agens reprehendit, quod dicatur *diligentius metuere;* adverbium enim *diligenter* non posse jungi nisi cum verbis, eam rem, quae in potestate nostra sit, significantibus, quare cum recte dicatur *diligenter scribere* et *curare* et *meminisse*, falsum esse *diligenter metuere*: esse oportuisse *quanto magis homines metuant.* Contra Hermannus p. 16 duabus rationibus certat. Haec habet primum: „Dixit *diligentem ad propulsandum metum* Cic. Philipp. 10, 8, qui si in propulsando metu diligentia utitur, in eadem causa et metuit et diligens est, vel quod idem est, diligenter hoc est cum diligentia metuit." In his eo maxime nomine peccat Hermannus, [1]) quod, quae substantivo cum praepositione *cum* dici possint, eadem adverbio reddi posse existimat. Recte dicitur *profectus est cum timore rerum futurarum, rediit cum laetitia*, nec tamen eadem sententia recte dicitur *profectus est timide* et *rediit laete;* aliud est *intravit urbem cum maxima frequentia hominum*, aliud *intravit frequentissime;* aliud rursus *rediit cum magna ignominia*, aliud *rediit ignominiose.* Nimirum praepositio *cum* significat id quod comitatur, quod potest aut pertinere ad ipsam actionem aut extrinsecus quasi accedere; adverbium id, quod in ipsa actione positum sit. Quare cum possit fieri, ut idem valeat praepositio atque adverbium, nequaquam necesse est. [2]) Potest autem dici *cum diligentia timeo* i. e. ad timorem meum accedit diligentia, non potest dici *diligenter timeo*, quia in timendo ipso nulla potest inesse diligentia. Nec dixit ita quisquam, nisi forte comicus aliquis risum excitare actione quasi quadam timori tribuenda voluit. [3]) Altera Hermanni ratio haec est: „nec si *cautus timor* recte dicitur Ovid. Trist. 3, 3, 65, diligentia autem vel

---

1) Praeterea enim ipsum exemplum, quo utitur, parum aptum est; nam in eo diligentia pertinet ad propulsandum, non ad timorem. Quasi vero, quod recte dicatur *jocus aptus ad risum excitandum*, colligi possit, item recte dici *apte ridere.*

2) Conferantur maxime, quae nuper patruus meus disputavit et de hac et de simili re in grammatica sua §. 472, et Handius in Tursell. Tom. II. p. 152 sqq.

3) Similis proprie ratio fuit adverbii *valde*, quod cum ducatur a valendo, usus, qui idem formam ejus contraxit, eo traduxit, ut etiam iis vocabulis addi possit, in quibus nulla potest esse valendi significatio. Sed usus et consuetudo linguae hoc effecit, qui in adverbio *diligenter* demonstrari non potest. Atque illo ipso adverbio *valde* plerumque Cicero quidem utitur ad elegantem aliquam urbanitatem significandam. Similiterque usurpatur *vehementer.*

maxime in *cavendo* cernitur (Cic. Philipp. 7, 1; 11, 4; Q. fratr. 1, 1, 14), [1]) in metu quoque diligentia habebit quod offendat." Quae quis non videt, cupidius quam verius esse disputata? Affinia sunt vocabula *cautus* et *diligens*, nec tamen omnia quae diligentia, eadem cauta sunt aut contra. Affinia esse quis negabit *beatus* et *felix?* At recte dicuntur *res feliciter gestae*, *res beate gestae* parum recte. Nec denique si poëta aliquis timorem *cautum* et *diligentem* recte dixit, sequitur, ut aut Cicero aut Brutus recte potuerit dicere *diligenter timere.* Sed potuerit Brutus latine dicere *diligentius metuere*, et potuerit etiam hoc loco, quo idem esse oportet ac *magis metuere;* quam tandem esse totius loci sententiam esse putabimus? Eam quam esse oporteret, recte explicavit Marklandus, nimirum hanc: *At vide quanto magis homines metuant quia Antonius vivat atque in armis sit, quam meminerint Caesaris, de quo quod fieri potuit ac debuit, a nobis transactum est neque jam revocari in integrum potest;* [2]) quomodo ex iis quae leguntur, commode effici posset, non intelligere sese professus est. Neque hanc difficultatem aut solvit aut verbo ullo attigit Hermannus.

Deinceps tres ejusdem epistolae locos vituperaverat Marklandus; non tam propter singula dicendi genera minus commoda aut latina, quam propter totam sententiam male compositam. Primus est in extrema prope epistola hic: Ad fortitudinem ut Ciceronem excitet, prioris animi magnitudinis eum commonefacit et ostendit, similem ubique expectari ab hominibus. Cum enim Catilinae aliquando restitisset summa virtute, neminem miratum esse, quod idem in M. Antonio fecisset. Pergit sic: *Idem Cicero* (qui tam bonus consul et consularis fuit) *si flexerit adversus alios judicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio* [3]), *non*

---

1) Nec recte hoc ex iis quidem locis, qui afferuntur, est effectum. Nam apud Cic. Philipp. 7, 1, 3 est *diligentior cautio*, Philipp. 11, 4, 10 *diligentius et vigilantius caveamus.* Tertium locum, ubi sit, invenire non potui, sed similem esse suspicor. Jam ex iis colligitur, cautionem cerni in diligentia; diligentiam in cavendo esse positam, etiamsi sit, colligi non potest.

2) Conferenda enim sunt, quae leguntur in epistola XV. Ciceronis ad Brutum: *Sed nescio quomodo facilius in timore benigni quam in victoria grati reperiuntur.* Est enim proprium harum epistolarum, ut fieri necesse erat, cum ostentationis causa a declamatore scriberentur, ut in paucis fere sententiis ac rebus versentur, quae varia ratione illustrantur et amplificantur.

3) Duae aliae res sunt in hoc loco, quas reprebensas a Marklando p. 42 defendit auctoritate sua Hermannus p. 28. Qui quod latinum esse dicit *dirigere judicium in aliqua re*, facile concedo; quod *magnitudine* tuetur tamquam bonum, non puto recte esse factum. Desiderabat Marklandus *magnitudine animi*, nihil Hermannus: posse enim *firmitatem ac magnitudinem* non ad subjectum, id est ad Ciceronem, sed ad objectum referri i. e. ad judicium; ac satis latinum esse *magnum judicium* (Cic. de orat. 23). In quo dupliciter videtur esse erratum. Latius enim patet *magnus* quam *magnitudo*, quae nisi in certo quodam genere non solet translata significatione usurpari. Dicitur recte *magna eloquentia*, *magna sapientia*, sed non dicitur magnitudo sapientiae. Tum etiamsi recte posset dici *magnitudo judicii*, et ita posset dici, ut significet, quod h. l. significandum est, non intelligo, quid sit, quod Hermannus dicit *magnitudinem* esse ad objectum referendum.

modo reliqui temporis gloriam eripuerit sibi, sed etiam praeterita evanescere coget (nihil enim per se amplum est, nisi in quo judicii ratio extat), quia neminem magis decet, quam te, rempublicam amare libertatisque defensorem esse. In his primus Marklandus p. 209 parenthesi recte constituenda sententiam aliquam effecit, sed eam ipsam tamen rectam esse negat: pro *nisi in quo judicii ratio extat* esse potius oportere *nisi cui aequabilitatis ratio constat.* Hic Bruti sententiam, qnae luce clarior sit, minus intellectam esse arguit Hermannus: esse enim hanc, cavendum esse Ciceroni, ne si tunc famae atque expectationi hominum desit, priora illa fortuito gessisse videatur. Itane vero? Cicero, fortis aliquando in Catilinam et in M. Antonium, si mollis et negligens fuisset in Octavianum, quid dixissent homines? Utrum hoc, fortuito res ab eo gestas esse, sine judicio, sine ratione? an vero parum certo eum esse judicio, discessisse eum ab ea, qua prius uteretur, sententia i. e. parum constantem esse? Hoc opinor. Idque ipsum dicit Brutus, cum paulo ante: *fortem et liberum animum, quo et consul et nunc consularis rempublicam vindicasti, sine constantia et aequabilitate nullum* [1]) *esse putaris,* tum hoc ipso loco: *si flexerit — judicium suum.* Habuerat igitur aliquando judicium, sed discessit ab eo, inconstans fuit. Quare recte Marklandus, non recta ea, quae tamquam Bruti verba leguntur; nam *nihil — per se amplum est nisi in quo judicii ratio extat* est illud, quod Hermannus explicat, nihil posse magnum dici *per se* (id est, si solum, si separatum ab aliis spectetur), nisi id quod intelligatur secundum judicium, non fortuito quodam impetu gestum esse. At facilius, quam Marklandus volebat, sententia restitui potest, si scribas *nisi in quo judicii ratio constat* [2]) i. e. constans sit vel conveniat cum prioribus rebus gestis [3]).

Quasi vero si quis dicat *exercitus, quem tanta audacia et magnitudine in terram deduxit,* id ita aliquis possit tueri, quasi idem sit quod *quem tam audacem et magnum exercitum deduxit.* Ablativus ille pro natura sua nec ad subjectum nec ad objectum pertinet, sed ad verbum dirigendi, cuius modus eo indicatur; aliud nihil potest intelligi. Cum igitur *magnitudo* per se intelligenda sit, relinquitur, ut male haec dicta esse confiteamur.

1) In his quoque notam deterioris latinitatis deprehendere mihi videor. Oportebat dici *nihili, nullius pretii esse,* vel *perire, periturum* vel aliquid simile. Sed quis potest hoc intelligere, *fortitudinem, quam jam demonstravit Cicero, sine constantia nullam esse?*

2) Non sine causa Ernestius conjunctivum postulabat; et fero aegre indicativum etiam in Bruto, sed fero tamen.

3) Addo nonnulla de alio loco hujus epistolae, in quo paulo injustius Marklandus videtur vituperari ab Hermanno p. 17: hic certe nec satis intellexit, in quo ille haereret, nec difficultatem solvit. Brutus haec dicit: *non existimo, tam omnes deos aversos esse a salute populi Romani, ut Octavius orandus sit pro salute cujusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum.* Marklandus pro *non dicam* desiderabat recte *nedum.* Hermannus autem eadem significatione multo saepius apud Ciceronem esse *non dicam* vel *non modo* esse narrat, nec si illud plerumque in priore sententiae membro collocetur, minus ideo probabilem inversionem esse, quia etiam *non modo* saepius in posteriore membro inveniatur. Hoc ipsum, quod probabile esse dicit, velim probasset exemplo Hermannus. Sic enim equidem et natura rei comparatum esse et usu confirmari video, ut inversione illa facta nunquam *non dicam,* sed *ne dicam,* pro eo quod alias est *ne* vel *nedum,* ponatur.

Ut leviora nonnulla omittamus,[1]) duos locos ex eadem hac epistola sextima decima primi libri afferamus, in quibus cum Marklandus jure haesisset, Hermannus paulo cupidius quam verius disputavit. Brutus haec dicit: *Neque hoc tibi in mentem venit — iis, qui illud malum exciderint, cujus istae reliquiae sunt, nihil, quo expleri possit eorum meritum, tributurum unquam populum Romanum, si omnia simul congesserit.* Sententia, quam esse oporteat, apparet. *Explere meritum* dicit pro eo, quod erat *praemiis aequare merita eorum.* Id ipsum latinum esse negavit Marklandus p. 100: tuetur Hermannus non exemplis ullis, sed ratiocinatione aliqua, in qua id, quod praecipuum erat, omittit. Meriti similem naturam esse dicit ac spei vel officii, in quibus cum illa ratione adhibeatur explendi verbum, non esse dubitandum, quin idem in merito possit fieri. Sed diversa longe est latinitatis consuetudo in merito atque in spe. Nam spes dicitur non modo actio sperandi, sperare quasi ipsum, verum etiam id quod speratur, atque ita potest dici explere spem.[2]). Jam *meritum* facile existimet aliquis esse non modo actionem merendi aut id, quo poenam laudemve mereas, sed etiam id quod mereas i. e. ipsam poenam ipsamque laudem, quod si ita esset, facile intelligeremus, etiam meritum ita posse expleri, ut sit idem quod aequare praemiis meritum. Id igitur exemplis demonstrandum erat Hermanno, non ratione aliqua utendum fallaci. Quae tamen exempla, non dicam apud Ciceronem, sed apud bonos latinitatis auctores ejusdem aetatis vix inveniet. Valuisse ea significatio videtur apud veteres, itaque explicatur Terent. Phorm. 2, 1, 75, inde repetiverunt inferioris latinitatis scriptores, ut Apuleji nonnulli loci in lexicis citari solent. Cicero aut Brutus si dicerent expleri meritum, nihil significabant, nisi id, quod Marklandus putabat, cumulari quasi ea, quae antea pro republica bene fecissent, expleri beneficia.

---

1) Unum tamen locum commemorabo, de quo quia Marklandus p. 44 minus cauto dixerat, calumniandi causam sumpsit Hermannus. Brutus haec dicere jubetur a declamatore: *non magis irritatus esset Antonius regno Caesaris, quam* ob ejusdem mortem *deterritus.* Hic cum haereret Marklandus, non recte negavit, latinum esse *deterreri ob aliquam rem;* nec tamen rectius Hermannus, qui cum intellexisset, esse quod differret inter *deterreri morte* et inter *deterreri ob mortem,* parum quaesivit, num hoc huic loco conveniret. Deterretur aliquis ob mortem alicujus ab imperio tentando, si ea morte obstaculum ei imperii adipiscendi natum est; aliter deterretur morte. Nec si quis forte poëta alicubi aut scriptor poëticus (atque ex eo genere constat esse Tacitum, cujus exemplo utitur Hermannus, parum probabilem latinitatis auctorem; quamquam in eo certe loco, qui citatur, aliam et causam habet et excusationem), sed si poëta aliquando illud discrimen neglexit, non sequitur, ut Brutus aut Cicero item negligere potuerit. Ceterum totum hunc locum Bruti epistolae expressum esse opinor ex Bruti et Cassii epistola ad M. Antonium (in Cic. Epp. 11, 3), in qua extrema haec sunt: *non, quam diu vixerit Caesar sed quam non diu regnarit, fac cogites.*

2) Quamquam ipsa haec passiva quasi significatio dubito, num praeter poëtas (vide lexica) aut eos scriptores, qui utrumque genus orationis miscuerunt, inveniatur; apud Ciceronem certe bonosque alios scriptores frustra talia quaesivi.

Altero autem loco memorabile prorsus est, quo fallaci quadam ratiocinatione abripiatur Hermannus. Haec leguntur: *Te, Cicero, rogo atque hortor*, (ut) *semper in praesentibus malis prohibendis, futura quoque, nisi ante sit occursum, explores, ne se insinuent*, in quibus recte Marklandus negavit latinum esse *praesentia mala prohibere*, cum id modo possit prohiberi quod cum procul sit, adventet. At Hermannus *intervallum illud*, inquit p. 28, quo quid procul habetur, *duplex esse potest aut loci aut temporis, tantumque abest ut quae a nobis prohibeamus, tempore pariter ac loco distare necesse sit, ut pleraque eorum, quorum vim procul arcere conemur, non cogitata tantum sed vera ac viva adsint; quod si ipsa futurorum oppositio docet, praesentia mala de tempore intelligenda esse, ne ambigi quidem licet, quin prohibere ad locum spectet, quo Cicero ea velut a corpore reipublicae procul habeat*. Docet igitur singulari hoc artificio, Ciceronem admoneri, ut pericula, quae fortasse in Gallia aut in Hispania sint, arceat ab urbe ipsa! Quod quis credat? Argutatur enim Hermannus, cum temporis et loci intervallum discernit; nam quod loco distat, idem distat tempore: quare, nisi quid addatur, unde aut loco aut tempore distet, malum praesens est, quod et loco et tempore adest, quod non potest prohiberi i. e. procul haberi.

Atque haec quidem fuerunt in epistola libri primi decima sexta, quae cum Marklando imprimis materiem vituperandi dedisset, partim recte partim non recte defensa est ab Hermanno. Persequamur jam eum reliquas Bruti epistolas purgantem et tuentem [1]). In septima epistola quod

---

1) Dicam etiam de alio loco, in quo cum verba intelligi posse docuerit Hermannus p. 31, sententiam rectam aut aptam esse parum persuasit. Bruti in epistola quarta haec sunt: *Nunc, Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo pejus.* Primum in republica malum fuerat Caesaris potentia, alterum Antonii ejusque sectae, tertium videbatur posse succedere Octavianus. Antea Brutus dixerat verendum esse de Octaviano, ne nimis potens fieret et mala consilia sequeretur. Quid igitur porro esse oportet? Hoc, opinor: nunc agendum, nunc cavendum est, ne frusta oppressus sit Antonius, unus ex malis civibus, ne renascatur alia dominatio. Excidendum igitur est malum, non, ut in superiore Caesare factum est, unus modo homo tollendus. Pro his legitur ita: „nunc agendum est, ne causa, cur prius malum excidamus, ea sit, ut renascatur alterum." Quae parum constare cuivis, opinor, apparebit, nec omnino ex malo exciso i. e. penitus deleto, potest renasci aliud malum. Hic adeo elegantiam aliquam deprehendere sibi videtur Hermannus, quod qui proprie effectus tantum illius excisionis sit (quasi vero ex malo exciso renasci possit alterum), per acerbam irrisionem in ejusdem causam commutetur, quasi id ipsum excidentibus jam propositum fuerit, parum aptis exemplis usus, cum Ciceronis p. Sext. c. 32, tum Juvenalis Sat. 7, 27: *frange miser calamos vigilataque proelia dele, qui facis in parva sublimia carmina cella, ut dignus venias hederis et imagine macra.* Hoc enim loco vere et proprie scribentis fuerat consilium, ut dignus judicaretur hedera et imagine i. e. ut imago ejus poneretur in bibliothecis publicis: irrisio poetae cum in adjectivo *macra* apposito tum in contemptione ejus praemii sita est. Quamvis igitur in hoc epistolae Brutianae loco insit sententia aliqua nec fortasse sit emendandum, aptam tamen eam esse non existimo. In eademque hac epistola paulo supra Brutus de Caesare dicit, qui nimis foveatur a Cicerone: *statim, ut quisque aliquid recte fecerit,* (videris) *omnia dare ac promittere: quasi*

a Marklando p. 66 impugnatur, ab Hermanno p. 32 defenditur, non tam ad ipsam latinitatem pertinet quam ad id, quod aptum est. Brutus personatus haec scribit: *De Domitio et Appulejo quid attinet me scribere, cum ipsi per se tibi commendatissimi sint? Appulejum vero tu tua auctoritate sustinere debes. Sed Domitius in sua epistola celebrabitur.* Quid illud esse dicamus *in sua epistola celebrabitur?* Sententiam quam esse oporteret, cum sine dubio intellexisset Marklandus, tum Hermannus exposuit: Domitium non esse commendandum hac Bruti epistola; ipsum illum scripturum esse ad Ciceronem seque commendaturum. Quae sententia quomodo in iis quae leguntur, inesse possit, nec docuit Hermannus nec poterit quisquam docere. Nec quod ille plus difficultatis existere dicit ex universa scribentis brevitate et festinatione quam ex verborum sententia, satis aut rectum aut aptum est. Non enim tales sunt omnes hae epistolae, quales multae Ciceronis ad Atticum, in quibus si quid est obscurius dictum, et significatum magis quam explicatum, excusamus facile: sed hae epistolae summa cura et elegantia, ea quidem, quae videatur esse, non sit, elaboratae, si quid tale habent, merito offensionem movent. In undecima epistola quae defenduntur ab Hermanno p. 32, magis res quam latinitatem attingunt, de quibus dicam tamen et ipse hoc loco, quia ille dixit. Brutus laudat Antistium Veterem (vel ut ipse ex more magis argenteae quam Ciceronianae latinitatis scribit *Veterem Antistium*) sibi ultro et pollicitum esse et dedisse *Hs. XX ex sua pecunia.* Hanc pecuniam ex Plutarcho Brut. c. 25 [1]) constat fuisse publicam, meritoque offenditur Marklandus p. 151, quod ea a Bruto diceretur Antistii pecunia fuisse. Contra Hermannus p. 33 disputat, etiam eam pecuniam, quam quis pro republica administret, posse dici alicujus esse. Quod quis neget posse aliquando recte fieri? Sed hoc loco quaeritur, num recte possit. Jam equidem nego posse. „Antistius optimo est animo; qui cum Dolabellae summo cum periculo suo noluisset pecuniam dare, mihi dedit ex sua pecunia." Ita

---

non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animum. Haesit Marklandus p. 59 in *largitionibus,* quas a veteribus negabat intelligi posse nisi de pecuniis. At Hermannus p. 21 ne potuisse quidem addi ait propiorem definitionem, quia communis sit et universa sententia. Equidem malum latinitatis auctorem concedo facile ea significatione, qua hic, dicere potuisse largitiones, bonum nego. Cum enim proprie de omnibus rebus aeque diceretur largiri et largitio, coepit tamen ita consistere in pecunia, ut nisi quid aliud adderetur, de ea esset intelligendum. Docent id sexcenta exempla, quae facile possem constipare, si quicquam interesse arbitrarer. Quare, etsi dicatur largiri honores aliquando translata quasi quadam significatione et largitio honorum, non tamen credam, si nihil addatur, praeter pecuniae largitionem quicquam posse intelligi. Nec ejusmodi exemplum aut attulit Hermannus aut poterit afferre.

1) Plutarchi locus hic est: Ἐκ τούτου πεντήκοντα μὲν αὐτῷ μυριάδας Ἀντίστιος ἀφ' ὧν ἦγε καὶ αὐτὸς εἰς Ἰταλίαν χρημάτων δίδωσιν. Quinquaginta myriades sunt drachmarum i. e. vicies Hs. Inde in hac epistola corrigendum est *Hs. XX.* (minus enim parva haec summa), ut sit Hs. viciens. Quam denique declamatorie dicta etiam illa: *et pollicitus est et dedit!* Quasi multo postquam promisit, dederit aut magnum aliquid in pollicendo positum fuerit.

Brutus, cum pronomen non apposuerit modo, sed etiam anteposuerit, nemo dubitare potest, quin privatam Antistii dixerit.

Dixi de Bruti epistolis satis, in quibus et plura ferenda erant, quae ex Ciceroniano quidem usu minus bene dicta esse viderentur, et difficilius omnino erat judicium, quia quale ejus dicendi genus fuerit, quantum in quaque re sibi permiserit, ex nullis librorum ejus reliquiis judicari potest. Severiores esse debebimus in ipso Cicerone, cujus latinitas satis nota est; qui sicubi secum ipse non consentiet, justa orietur dubitatio. Hac in parte parum mihi satisfecit Hermannus, qui non utitur ea ratione, qua sola Ciceronis latinitas judicanda est. Testibus enim utitur modo Tacito, ex quo si quis velit quid in Cicerone ferendum sit aut non ferendum decernere, omnia perturbabit, modo Plinio seniore, eruditissimo sane homine, sed cujus oratio referta sit plurimis rebus, poëtarum propriis: semel adeo eo descendit, p. 38, ut ex Titinnio comico apud Festum apertum soloecismum apud Ciceronem tueatur. Nimirum in secunda epistola libri primi haec sunt: *Quinque autem cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, cum tu eo* (i. e. in Chersonneso) *quinque legiones haberes?* Omnes merito haeserunt, quod *eo* esset positum pro *ibi* idque ferri posse negarunt. (Cf. Hand. Tursell. II p. 410.) At Hermannus defendit et cum exemplum aliud nullum invenire potuisset, Titinnium affert ex Festo p. 302 ed. Müll.: *quid habes nisi unam arcam sine clavi? eo sucerdas condis.* Ita videtur sibi apud Ciceronem quotidiani sermonis negligentiam tenere, quam Ciceronis epistolae, praesertim festinanter scriptae, ut ea de qua ageretur, interdum cum antiqua comoedia communem haberent. Hoc ipsum velim exemplis demonstrasset: nunc non credo, nec id, quod posterior omnis latinitas (et constat altero saeculo post Christum plurima ex vetustate esse repetita) sprevit, apud Ciceronem ferri posse intelligo [1]).

Simili ratione Hermannus, vel incredibili cupiditate harum epistolarum defendendarum motus vel graecae linguae, quae hoc in genere aliquanto majore libertate utitur, similitudine inductus, in epistola tertia libr. I. omnem Ciceronis latinitatem evertit. Sunt ibi haec: *Ea cum* (i. e.

---

1) Atque in ipso illo Titinnii exemplo magnopere erravit Hermannus: constat enim latine dici *condere in aliquem locum*, non *in aliquo loco*, ut *eo condis* rectum prorsus et consuetum sit. Nec magis fidem ei habeo docenti *ubi* dici pro *quo*; nam apud Cic. ad Att. 3, 8, 3 *quod suades, ne longius discedamus . . . . puto me ita esse facturum*; *sed ubi, nondum,* propter ipsam familiaritatem epistolae faciendum esse puto, ut interpunctione adjuvetur sententia et sic scribatur *Sed ubi?* (i. e. manebimus) *Nondum statui.* Similique ratione peccavit Hermannus p. 36, ubi tuetur haec ex ep. 1 libr. 2: *Ex me autem illud est* (quantopere hoc ipsum mirum et novum in Cicerone!), *quod te velim habere cognitum, meum quidem animum* in aciem esse, quod Middleton recte explicat *intentum esse in aciem et bellum gerendum,* ipse nescio qua ratione alia interpretans comparat nota illa *in dicionem, in potestatem esse* (cf. Liv. 2, 14 ibique notas), cum, imprimis apud Ciceronem, pauca ea certaque dicendi genera esse constet, in foro et in curia usitata.

multitudine) *usque in Capitolium deductus* [1]) *maximo clamore atque plausu in rostris collocatus sum.* Ibi *ea cum* statuit esse pro *cum ea,* idque anastrophes genus tueri instituit variis exemplis: dici enim *cum quibus* pro *quibuscum,* tum *hunc post* et *hunc circum* alia. Ut brevis sim, conferri jubeo C. G. Zumptii grammaticam § 324. Sed vellem unum mihi geminum exemplum ex aliquo bono et probato scriptore attulisset.

Nona prioris libri epistola cum inani et inepto verborum strepitu referta manifestissime mihi declamatoris artificium prodere videatur, unum tamen tantum locum latinitatis accusandae Tunstallo praebuit, atque eum ipsum tuetur Hermannus p. 39. Leguntur autem haec: *Est enim alienum tanto viro, ut tu es, quod alteri praescripserit, id ipsum facere non posse,* in quibus omnes merito offendit particula *ut,* quam ferri posse negabant. Fert eam Hermannus sic explicans: *est alienum tanto viro, ut tu es tantus vir, quantum videmus vel novimus etc.* itaque consuetam particulae significationem sibi videtur servasse. Nec negabo nonnunquam aliquid esse supplendum, ne particula *ut* male posita esse videatur; sed h. l., cum sententia postulet, ut definiatur, quantum virum esse oporteat, ut ipse sua praescripta maxime sequi debeat, necesse est *ut* referatur ad explicationem *tanti viri,* id quod fieri nequit. Cetera autem omnia, quae sententiae suae firmandae causa afferuntur ab Hermanno, minus accurate disputata sunt [2]). In secunda epistola libr. I. haec tamquam a Cicerone profecta nobis proponuntur: *magis mihi probatur militum severitas quam tua.* Dicitur de C. Antonio in Macedonia a Bruto capto, quem cum milites occidi jussissent, Brutus conservarat. Non igitur fuerat severus, sed lenis. Quare Marklandus p. 187 latina esse negavit, quae scripta essent, atque aut inserendum *lenitas* aut confitendum, haec a Cicerone scribi non potuisse. At tuetur illa Hermannus p. 40, docetque imprimis in comparativo hoc esse positum, ut a contrarii cogitatione revocet h. e. non majorem ejusdem rei gradum cum minore comparet, sed de duabus rebus contrariis alterum potius adesse declaret. Quae parum a me intelligi fateor [3]): sed hoc video, si recta erunt illa declamatoris,

---

1) Atque etiam si *ea cum* dicit posset pro *cum ea,* quis ferret, Ciceronem deductum esse cum multitudine in Capitolium? Immo ipsa multitudo deduxit.

2) Primum enim particulam *ut* quantitatis significationem habere dicit apud Plin. nat. hist. Praef. § 3 *nec quicquam in te mutavit fortunae amplitudo, nisi ut prodesse tantumdem posses ut velles;* sed ibi *ut* sequitur, quia praecedit *tantumdem* neque *idem ut* similiaque in Plinio modo ferenda verum etiam in Cicerone, ut Tuscul. 2, 3 *eisdem fere verbis exponimus, ut actum disputatumque est.* Nulla igitur quantitatis significatio nec illo loco nec ullo alio. Tum Cic. Epp. 12, 20 *quod si, ut es, cessabis, lacessam,* explicat rursus intelligendo *ut es cessator,* parum illud quidem recte. Dici constat latine *ita sum, ut res est;* quare *ut es,* erit *qua natura, quo ingenio es,* solito prorsus more ex noto illo et eleganti pronominis relativi usu. Similisque est ratio tertii loci apud Cic. Epp. 7, 32, 3.

3) Exempla quidem, quae afferuntur, parum apta esse intelligo: nam apud Cic. p. domo c. 43 *quod esset signum magis istorum quam publicae libertatis,* rectissima omnia. Signum libertatis Clodio datum

posse etiam dici a Cicerone sic: *Romanis magis probabatur Caesaris victoria quam Pompeji* (i. e. fuga). Possint id fortasse dicere comici irridendi causa, quasi Pompejus quoque aliquam in fuga ipsa reportarit victoriam: in Cicerone serio loquente nemo feret.

Praetereo leviora nonnulla, in quibus potest species aliqua justae fortasse defensionis inveniri, propero ad genus quoddam vel proverbiorum vel formularum sollemnium, qua Hermannus utitur, ut ea, quae vel in sententia vel in rebus falsa sunt, tueatur. Quo in genere maxime memorabilis est locus ex epistola d u o d e c i m a libr. I, ubi Lepidus narratur repente non solum recepisse reliquias hostium, sed bellum acerrimum *terra marique* gerere. Marklandus p. 145 vituperat, quod Lepidus dicatur *mari* gessisse bellum, quem nulla navi usum esse constat, nec scio, quomodo id quisquam possit tueri. At tuetur Hermannus p. 45: solitam esse formulam in bellis *terra marique*, singulasque ejus partes urgere ineptum esse. Nec ego hercle urgebo singulas partes ejus formulae, sed totam rejiciendam esse statuam: certe enim is scriptor, qui formulam talem ibi adhibet, ubi nullus ejus locus est, inepte facit. Rem conficiam uno exemplo nostrae aetatis. Solita est apud nos formula, pugnare nos *pro rege et pro patria;* idem si quis de cive liberarum rerum publicarum Americae dicet, merito ridebitur: nec illa excusatione poterit uti, solitam eam esse et consuetam formulam nihil significantem nisi pugnare [1]). Simile est, quod in epistola d e c i m a defendenda docere instituit Hermannus. Ibi enim Cicero de profectione sua, quam habebat in Graeciam, dicens sic scribit: *Haec ego multo ante prospiciens fugiebam ex Italia, tum cum me vestrorum edictorum fama revocavit.* Duas res in his falsas esse demonstrat Markland. p. 143 ex Cic. Phil. 1, 3 et ad Att. 16, 17, primum non fama edictorum motum esse Ciceronem, sed ipsa edicta ad eum allata esse, tum non fuisse edicta, sed unum, Bruti et Cassii commune. De illa re nihil Hermannus, de hac pauca: in illa voce edicti utriusque numeri fere promiscuum usum fuisse videri. Hanc tantam rem existimes exemplis confirmari et luculentis et certis. At Hermannus affert ille quidem quattuor, sed in omnibus iis pluralis suo jure et recte positus est. [2]).

---

est, ut id esset signum, magis Clodium ejusque socios esse liberos, quam rempublicam, in quibus nihil hujus, de quo dicimus, loci simile est. Thucydidem vero (II, 40 καὶ τὸ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινι αἰσχρὸν, ἀλλὰ μὴ διαφεύγειν ἔργῳ αἴσχιον) qua ratione huc pertineat, prorsus non video. In eadem hac epistola paulo infra haec sunt: *Quod scribis me maximo otio egisse, ut insectarer Antonios idque laudas, credo ita videri tibi.* Non dico quod illud *maximo otio* explicari nequit nec recuso, quominus Manutius recte *maximo animo* correxisse videatur; sed molestum est illud *egisse,* pro quo esse oportet *fecisse.* Hoc enim verbo saepe utuntur eleganter optimi scriptores ad explicandam orationem. At *agere ut* est *consilium habere ut, id agere ut,* a qua sententia longe hic locus abest.

1) Quae autem tamquam similia ab Hermanno afferuntur, Sallust. Cat. c. 15, qui Catilinae animum *neque vigiliis neque quietibus sedari potuisse* ait, et Tac. Ann. 13, 37, ubi Nero *per licita atque illicita foedatus* dicitur, sunt dissimillima. Quasi aut Catilina quietibus potuerit sedari, aut Nero per illicita non fuerit foedatus.

2) Apud Cic. p. Sext. 41 *ecce tibi consul, praetor, tribunus plebis nova novi generis edicta proponunt*

Quae cum ita sint, in idem apparet nonnunquam incidisse Hermannum, quod vituperat in Marklando et Tunstallo, ut ipsa cupiditate defendendi abreptus ea statueret, cujus probabiles rationes nec afferret nec afferre posset [1]). Neque probari posse existimo ea, quae p. 44 de loco ejusdem epistolae quintae disputat, de quo jam supra dictum est. Sunt autem ibi haec: *Perrexi tamen Romamque perveni, nulloque praesidio quatefeci Antonium.* Novum ibi et inauditum verbum *quatefeci*, in quo necessitatem emendandi esse negat Hermannus. At velim afferat mihi verbum tertiae conjugationis compositum cum verbo faciendi; omnia enim quae nota sunt, secundae conjugationis sunt, ut *madefacio*, *calefacio*, *arefacio*, *patefacio*, alia. Ac si Hermannus negaverit, si nullum compositum tertiae conjugationis notum sit, satis id esse causae, ut nullum esse potuisse existimemus, primum tuto potero confiteri, causam ejus rei mihi ignotam esse: neque enim decet in talibus rebus antecurrentem statuere, quid esse possit, sed subsequentem ea quae sunt, si ita fieri possit, demonstrare, cur sint. Quamquam etiam, cur secundae modo conjugationis verba cum verbo *facere* composita sint, potest aliqua ratio probabilis inveniri. Cum enim in iis proprie intransitiva significatio esset, ut *madere*, *calere*, *patere*, nec transitiva effici videretur posse verbum in primam conjugationem flectendo, quod fit in iis verbis, quae ab adjectivis deducuntur, ut *albare*, *aptare*, *liberare*, addendo verbo faciendi transitivum efficiebant [2]). Nec vero probandum, quod Hermannus conjici posse ait, *calefeci*, quod et in irridendo modo adhibetur, non in seria oratione, qualis haec est, et longe minus vehementem habet significationem, quam opus est. Cum enim contrarium sit *frigescere*, quis ferret, si esset: *nullo praesidio effeci, ne frigesceret Antonius?*

Supersunt duo maxime loci, ubi Hermannus dum negat, philosophi diligentiam aut jurisconsulti cautionem in Cicerone esse expectandam, hoc statuit, non dicam aut latinitatis aut ullius

---

res per se ipsa clara est; nam tam diversi magistratus non proponunt unum edictum; Phil. 13, 9 cum Antonius dicitur Octavianum laesisse *edictis*, item dicitur Phil. 3, 6, cum contra Phil. 3, 7 narretur Q. Ciceronem compellasse *edicto*, quo satis significat Cicero pluralem non poni de uno. Nec magis apud Att. 15, 1, 3, quae epistola a. d. XVI Kal. Jun. ann. 43 scripta est, demonstrari potest ullo modo pluralem positum esse in uno edicto. Superest Vell. Paterc. 2, 62, qui Bruti et Cassii ab Italia proficiscentium edicta commemorat. De quibus edictis prorsus ignoratur, qualia et quot fuerint.

1) Atque eo molestius fero, quod nimis fere exagitat virorum doctorum, si non cautum utique, at honestum studium. Ut dicit de *stupore* Marklandi p. 41, *propinat ridendum severum censorem* (p. 46), quae si ferebat Marklandi aetas, nostrae certe aetatis major cultus abstergere debuit.

2) Acute etiam hoc observavit Marklandus, ubi *facere* componatur cum verbis intransitivis, componi cum verbo composito, non simplici, ut *condocefacio*, *perterrefacio*. In quo parum recte ridetur ab Hermanno, qui non minorem calumniam esse dicit, quam si quis *legionem* recte dici neget, quia in eodem derivationis genere *contagio*, *internecio*, *obsidio*, non *tagio*, *necio*, *sidio* dicatur. At, ut simillimum aliquid afferam, verborum inchoativorum constat simplicia fere relinqui poetis, sola composita cum praepositionibus a bonis scriptoribus usurpari.

alius linguae, sed recte cogitandi leges posse violari. Epistola quarta decima libr. I. Cicero filium suum Bruto commendat eumque admonet, ut ipse in Italiam adveniat. Sunt ibi haec: *Quare omni studio a te, mi Brute, contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas tecumque deducas*: quod ipsum, *si rempublicam, cui susceptus es, respicis, tibi jam jamque faciendum est.* Vituperaverat haec Marklandus p. 205: ineptum enim esse, quod dicatur in Cicerone filio deducendo posita esse rei publicae salus. Jam Hermannus p. 46, ita prorsus quasi Marklandus non satis potuerit hunc locum intelligere, ipse explicat, quid voluerit hic falsarius: si Brutus deducat filium Ciceronem, ipsum etiam venire in Italiam, atque hoc, ut Brutus veniat, interesse reipublicae. At illa quis non sponte intelligit? Demonstrari autem oportebat, aut relativum posse ad id apponi, quo non pertineat, aut, si negligenter non dictum, sed cogitatum esse concederet, id quod erat ei concedendum, hanc cogitandi negligentiam solitam esse in veteribus scriptoribus. Simillimus est alter locus in epistola duodevigesima: *Maximo autem, cum haec scribebam, afficiebar dolore, quod, cum me pro adolescentulo ac paene puero* (i. e. pro Octaviano) *res publica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse. Est autem gravior et difficilior animi et sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero quam pecuniae obligatio. Haec enim solvi potest et est rei familiaris jactura tolerabilis: reipublicae quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis?* Hic igitur Marklandus p. 194 adverbium *facile* male appositum esse statuit, quia perinde sit facile an difficile et aegre quis patiatur, dummodo patiatur dependi. At Hermannus p. 47 disputat officia, quae quis coactus praestet, omni vi meritoque carere, neque solvi posse, nisi alter ille promptam operam suam exhibuerit. Quae non satis intelligo. Cum pro alterius animo in rempublicam vas extiti, aut sponte sua ille facit, quod facturum esse spopondi, aut si non facit sua sponte, traduci tamen se in eum animum patitur i. e. non facile patitur solvi obligationem meam. Sed solvitur tamen: non solvitur, cum non patitur: utrum aegre an facile patiatur, ad solvendum quidem nihil interest [1]).

Absolvimus Hermanni librum, ex quo potissima certe, quae minus recte disputata esse viderentur, recensuimus [2]). Qua recensione videtur hoc esse effectum, ut multa malae lati-

1) Alia ratio est ejus exempli, quod Hermannus affert, commendationis Epp. 13, 58 et 59, ubi Cicero praetores rogat, ut familiares sui, *quae aequa postularint, lubentibus praetoribus impetrent.* Ad ipsorum familiarium causam, utrum invitis an lubentibus praetoribus rem impetrarent, nihil interat, at intererat ad amicitiam Ciceronis. Breviter addo eodem hujus epistolae loco, de quo superiora disputata sunt, aliud esse malae latinitatis signum. Sequuntur enim haec: *Videtur in eo* (i. e. Octaviano) *esse indoles, sed flexibilis aetas.* Quis unquam latine indolem dixit pro *bona* aut *praeclara indole?*

2) Poteram enim etiam alia. Ut Hermannus p. 37 non persuasit, satis latina esse haec in epistola sexta libr. II: *ne* animi *partium Caesaris, quomodo etiam nunc partes appellantur, vehementer commoverentur,* quem ego locum ex Phil. 7, 16 et Phil. 13, 20 extr. male expressum esse statuo, aut II, 1 satis recta esse

nitatis indicia, quae Marklandus in his epistolis vituperavit, confirmata sint. Verumtamen etiam alia ratione cavendum est, ne quis amplius has epistolas, quas ne peritus quidem satis falsarius finxit, pro veris habeat. Neque ad eam rem Marklandiana ratio, ut singuli et selecti loci examinarentur, satis apta visa est, in qua accidit, quod Hermannus p. 24 criminatur, ut, cum in tota hac epistolarum collectione quinquaginta fere et sex locos reprehenderet, in novem Bruti epistolis totidem offendendi occasiones inveniret, quot in sedecim Ciceronis, atque in una sexta decima prioris libri plura vitia detegeret quam universis illis sedecim Ciceronianis exprobravit[1]). Nec rursus commodum videbatur esse, de rebus, quae narrarentur, dicere, siquidem in eo genere et Tunstalli doctissima disputatio cuivis, qui modo persuaderi sibi pati velit, facile possit sufficere, et Hermanni expectanda est defensio, qui eadem ratione, qua latinitatem vindicare conatus est, de rebus se dicturum esse profitetur. Poteram etiam haec disputare, quae partim jam intellexit Tunstallus, dicendi genus in iis epistolis, quae Bruto et in iis, quae Ciceroni tribuerentur, esse prorsus idem, similitudinemque utriusque generis epistolarum esse tantam, ut a duobus hominibus non possint esse scriptae[2]): tum rursus, id quod unum esset in his utrisque epistolis dicendi genus, longe discedere ab Ciceroniano: quaeri ubique elegantes magis, quam graves sententiolas, ἀντιθέσεις captari, et quae sunt ejusmodi alia, quae Senecae potius aut Tacito quam Ciceroni conveniant. Haec igitur poteram disputare multumque ea valent apud peritos et intelligentes judices, sed parum apud eos, qui minus periti sunt. Nimirum nulla de re difficilius est judicare, quam de stilo, qui apud nos dici solet; ut persuadeas autem in hoc genere, rarissime potest fieri. Denique licebat etiam de toto instituto harum epistolarum disserere, ut juberem considerare, num potuissent haec, quae legimus, scribere Brutus aut Cicero, num probabile esset fieri potuisse, ut, cum tantae res instarent tantumque ubique terroris impenderet, homines in summa republica versantes inter se scriberent epistolas philosophorum otiosorum more plenas quaestionum ad honeste agendum pertinentium, refertas iis, quae gesta essent, eorum, quae gererentur, inanes. Verum haec qui legat, semel admonitus ipse facile intelligat. Quare cum statuissem alia mihi ratione agendum esse, elegi unam epistolam Ciceronis, et consulto eam, in qua paucissima repre-

---

haec: *nec illa modo praestiti, quae nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, vigilantiam, patriae caritatem,* ubi pro *homine* certe esse oportet *bonum civem.*

1) Atque ea re praeclare utitur Hermannus p. 24, ut calumniatum esse Marklandum demonstret. Peropportune enim ei accidit, ut Brutus ipsi Ciceroni visus sit *otiosus atque disjunctus* (Tacit. dialog. de orat. c. 18), atque in orationibus suis *minor fama sua* dicatur esse (ibid. c. 21). Similiter Hermannus p. 29, cum Cic. ad Att. 6, 3 queratur de Bruto, *plane parum cogitare eum quid scribat aut ad quem, eumque nullas unquam ad Ciceronem litteras misisse, in quibus non inesset arrogans,* ἀκοινώνητον *aliquid,* hoc, quod alio tempore multis querelis inter Brutum et inter Ciceronem intercedentibus scriptum est, utitur, ut apertam sane ejus in Atticum inhumanitatem tueatur.

2) Vide Tunstall. Observationes anglice scriptas p. 365 et Hermannum p. 24.

hensa essent a Marklando et Tunstallo. In ea, quae aut non latine dicta aut non recte cogitata aut inepte exposita aut denique in rebus falso narrata sint, omnia demonstraturus sum. Quae quo facilius ab iis, qui haec lecturi sunt, intelligantur, ipsam epistolam, qualis in editione Orelliana legitur, repetendam esse putavi.

Cicero Bruto S.

Messalam habes. Quibus igitur litteris tam accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quae gerantur, quaeque sint in re publica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia novit, et elegantissime expedire et deferre ad te potest? Cave enim existimes, Brute, (quamquam non est necesse, ea me ad te, quae tibi nota sunt, scribere: sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio praeterire,) cave putes, probitate, constantia, cura, studio rei publicae quicquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. Quamquam in hac ipsa, sapientia plus apparet. Ita gravi judicio, multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est, tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio (quod in eo summum est) gratia habenda videatur. Sed provehor amore. Non enim id propositum est huic epistolae, Messalam ut laudem, praesertim ad Brutum, cui et virtus illius non minus, quam mihi, nota est, et haec ipsa studia, quae laudo, notiora. Quem cum a me dimittens, graviter ferrem; hoc levabar uno, quod ad te, tamquam ad alterum me, proficiscens, et officio fungebatur, et laudem maximam sequebatur. Sed haec hactenus. Venio nunc longo sane intervallo ad quandam epistolam, qua mihi multa tribuens, unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius et tamquam prodigus. Tu hoc: alius fortasse, quod in animadversione poenaque durior; nisi fortasse utrumque tu. Quod si ita est, utriusque rei meum judicium tibi cupio esse notissimum: neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus fuit ex septem, et legum scriptor solus ex septem. Is rem publicam duabus rebus contineri dixit, praemio et poena. Est scilicet utriusque rei modus, sicut reliquarum, et quaedam in utroque genere mediocritas: sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. Quid ego autem secutus hoc bello sim in sententiis dicendis, alienum non puto aperire. Post interitum Caesaris, et vestras memorabiles Idus Martias, Brute, quid ego praetermissum a vobis, quantamque impendere rei publicae tempestatem dixerim, non es oblitus. Magna pestis erat depulsa per vos, magna populi Romani macula deleta: vobis vero parta divina gloria: sed instrumentum regni delatum ad Lepidum et Antonium: quorum alter inconstantior, alter impurior, uterque pacem metuens, inimicus otio. His ardentibus perturbandae rei publicae cupiditate, quod opponi posset praesidium, non habebamus. Erexerat enim se civitas, in retinenda libertate consentiens. Nos tum nimis acres, vos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis; Italiae sua vobis studia profitenti remi-

sistis. Itaque cum teneri urbem a parricidis viderem, nec te in ea, nec Cassium tuto esse posse, eamque armis oppressam ab Antonio: mihi quoque ipsi esse excedendum putavi. Tetrum enim spectaculum, oppressa ab impiis civitas, opitulandi potestate praecisa. Sed animus idem, qui semper infixus est in patriae caritate, discessum ab ejus periculis ferre non potuit. Itaque in medio Achaico cursu, cum Etesiarum diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilii, retulisset, te vidi Veliae doluique vehementer. Cedebas enim, Brute, cedebas; quoniam Stoici vestri negant, fugere sapientis. Romam ut veni, statim me obtuli Antonii sceleri atque dementiae: quem cum in me incitavissem, consilia inire coepi Brutina plane (vestri enim haec sunt propria sanguinis) rei publicae liberandae. Longa sunt, quae restant, praetereunda; sunt enim de me; tantum dico, Caesarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Huic habiti a me honores nulli quidem, Brute, nisi debiti: nulli, nisi necessarii. Ut enim primum libertatem revocare coepimus, cum se nondum ne Decimi quidem Bruti divina virtus ita commovisset, ut jam id scire possemus: atque omne praesidium esset in puero, qui a cervicibus nostris avertisset Antonium: quis honos ei non fuit decernendus? Quamquam ego illi tum verborum laudem tribui, eamque modicam. Decrevi etiam imperium: quod quamquam videbatur illi aetati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. Quid enim est sine imperio exercitus? Statuam Philippus decrevit, celeritatem petitionis primo Servius, post majorem etiam Servilius. Nihil tum nimium videbatur. Sed nescio quomodo facilius in timore benigni, quam in victoria grati reperiuntur. Ego enim, D. Bruto liberato, quum laetissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur: in eoque sum majorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiae tribuerunt, cui vos pontifices ad aram in Velabro facere soletis. Quod ego cum dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimae victoriae sempiternam volebam. Atque illo die cognovi, paulo plures in senatu malevolos esse, quam gratos. Eos per ipsos dies effudi (si ita vis) honores in mortuos, Hirtium et Pansam, Aquilam etiam. Quod quis reprehendit, nisi qui, deposito metu, praeteriti periculi fuerit oblitus? Accedebat ab beneficii memoriam gratam ratio illa, quae etiam posteris esset salutaris. Extare enim volebam in crudelissimos hostes monumenta odii publici sempiterna. Suspicor illud minus tibi probari, quod ab tuis familiaribus, optimis illis quidem viris, sed in re publica rudibus, non probabatur, quod, ut ovanti introire Caesari liceret, decreverim. Ego autem (sed erro fortasse: nec tamen is sum, ut mea me maxime delectent) nihil mihi videor hoc bello sensisse prudentius. Cur autem ita sit, aperiendum non est, ne magis videar providus fuisse, quam gratus. Hoc ipsum nimium. Quare alia videamus. D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Planco. Praeclara illa quidem ingenia, quae gloria invitantur: sed senatus etiam sapiens, qui, qua quemque re putat, modo honesta, ad rem publicam juvandam posse adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur:

cui cum statuam in rostris statuissemus, iidem illam evertimus. Nos illum honore studuimus a furore revocare. Vicit amentia levissimi hominis nostram prudentiam. Nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in evertenda boni. Satis multa de honoribus. Nunc de poena pauca sunt dicenda. Intellexi enim ex tuis saepe litteris, te in iis, quos bello devicisti, clementiam tuam velle laudari. Existimo equidem nihil a te, nisi sapienter. Sed sceleris poenam praetermittere (id enim est, quod vocatur ignoscere) etiam si in ceteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. Nullum enim bellum civile fuit in nostra re publica omnium, quae memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracunque pars vicisset, tamen aliqua forma esset futura rei publicae. Hoc bello victores quam rem publicam simus habituri, non facile affirmarim; victis certe nulla unquam erit. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum severas: neque tam ulciscendi causa, quam ut et in praesens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem: et in posterum documentum statuerem, ne quis talem amentiam vellet imitari. Quamquam haec quidem sententia non magis mea fuit, quam omnium. In qua videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, poena pervenit. Sed id et antiquum est, et omnium civitatum: siquidem etiam Themistocli liberi eguerunt. Et, si judicio damnatos eadem poena sequitur cives, qui potuimus leniores esse in hostes? Quid autem queri potest quisquam de me, qui, si vicisset, acerbiorem se in me futurum fuisse confiteatur necesse est? Habes rationem mearum sententiarum, de hoc genere dumtaxat honoris et poenae. Nam de ceteris rebus quid senserim, quidque censuerim, audisse te arbitror. Sed haec quidem non ita necessaria. Illud valde necessarium, Brute, te in Italiam cum exercitu venire quam primum. Summa est expectatio tui: qui si Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium. Sive enim vicerimus, (qui quidem pulcherrime viceramus, nisi Lepidus perdere omnia, et perire ipse cum suis concupivisset,) tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum: sive etiam nunc certamen reliquum est, maxima spes est cum in auctoritate tua, tum in exercitus tui viribus. Sed propera, per deos. Scis enim, quantum sit in temporibus, quantum in celeritate. Sororis tuae filiis quam diligenter consulam, spero te ex matris, et ex sororis litteris cogniturum. Qua in causa majorem habeo rationem tuae voluntatis, quae mihi carissima est, quam, ut quibusdam videor, constantiae meae. Sed ego nulla in re malo, quam te amando constans et esse et videri.

Haereo in ipso initio. Quid enim significare potest *Messalam habes?* Utitur Cicero saepe ejus verbi forma imperativa, *hoc habeto* vel *sic habeto* i. e. hoc scito, imprimis in epistolis, ut Epp. 13, 29, 2 *id primum ergo habeto, non sine magna justaque causa hanc a me commemorationem esse factam;* Epp. 2, 6, 5 *unum hoc sic habeto, si a te hanc rem impetraro, me paene plus tibi quam ipsi Miloni debiturum;* Epp. 3, 13, 2 *illud velim sic habeas, quod intelliges, hac*

re novata additum potius aliquid ad meum erga te studium; Epp. 2, 8, 2 *tantum habeto, civem egregium esse Pompejum;* Epp. 2, 10, 1 *Atque sic habeto, nullam me epistolam accepisse tuam post comitia ista praeclara;* Epp. 16, 4, 4 *sic habeto, neminem esse.* Rarius est extra epistolas, sed tamen item in sermone, non in oratione, ut de republ. 6, 24 *tu vero — sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc;* ibid. 6, 23 *sic habeto, omnibus — certum esse in coelo locum.* In personis non invenio ita usurpari a Cicerone, nisi addatur vel adjectivum vel adverbium. Nimirum cum habere sit possidere quasi, in potestate sua habere, intelligimus facile posse de hominibus dici, quos cum existimamus esse bonos, apud nos quasi i. e. in animo nostro dum bono loco ponimus, in potestate nostra tenemus certe eorum bonitatem. Itemque cum vexamus aliquem, eum quia necesse est ex aliqua parte sit in potestate nostra, recte dicimur *male habere.* Inde manavit poëtarum et comicorum et eroticorum usus, qui haberi dicunt eum, qui amet, ab eo qui ametur [1]). Aliter non possumus *habere hominem,* nisi forte sit servus. At Messala, juvenis nobilissimus [2]), nequaquam is erat, qui posset *haberi.* Quare et contumeliosum erat dicere Messalam haberi a Bruto, nec is qui scripsit hanc epistolam, id voluit, sed hoc modo dicebat: Messalam esse cum Bruto. Quamquam, ut etiam de rebus ipsis, quae narrantur, quoniam id defugi non potest, aliquid h. l. dicamus, videndum est, ne Cicero omnino non potuerit cognoscere, Messalam profectum esse ad Ciceronem. Etenim Appianus bell. civ. 4, 38 in enarrandis civium proscriptorum fatis haec habet de Messala: Μεσσάλας δὲ, ἐπιφανὴς καὶ [3]) νέος, ἐς Βροῦτον ἔφυγε, unde certe potest colligi, eum vel post proscriptionem demum, ut mortem instantem vitaret, vel paulo ante, cum triumviratum constitutum esse audisset dominorumque novorum potentiam vereretur, ad Brutum profectum esse. Antea enim Romae fuerat, quo mense Quintili anni 44. Athenis reverterat. Vide Cic. ad Att. 15, 17, 2. Quae cum ita sint, nec latine satis eum novisse existimo, qui haec scripsit, et in rebus manifesto errasse.

Pergamus ad ea quae sequuntur, quae sunt haec: *Quibus igitur litteris tam accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quae gerantur quaeque sint in republica, quam is tibi exponet, qui et optime omnia novit et elegantissime expedire et deferre ad te potest,* in quibus equidem multa mali declamatoris indicia inesse judico, Ciceronis i. e. optimi scriptoris, quem non dicam latinitas, sed fortasse tota antiquitas tulerit, nullum. Primum enim oportebat esse aut *quibus litteris assequi possum, subtilius ut explicem* aut *quas litteras tam accurate scribere pos-*

1) Itaque in joco usurpat Cicero Epp. 9, 26, 2, ipso tamen illo loco significans, eum magis Graecorum usum esse, quam latinum. Addit enim: *Graeci hoc melius: tu, si voles, interpretabere.*

2) Qui quantae fuerit auctoritatis, facile perspicitur ex iis, quae narrat Appian. bell. civ. 4, 38. Atque erat postea idem a Bruto et Cassio proximus in imperio. Vide Vellej. 2, 71.

3) Abesse oportet particulam καὶ, ut sit ἐπιφανὴς νέος i. e. *juvenis illustris.*

rum, subtilius ut explicem. Quae ita a falsario illo composita sunt, ut non jam orationis elegantia aut proprietas, sed, id quod longe gravius est, cogitandi leges violentur. Quare nisi quis aut illud *tam accurate scriptis* ejicere totum volet aut pro eo quod est *tam*, emendare *quamvis*, relinquetur, ut Cicero quidem haec scripsisse non videatur. Deinde pergi sic, opinor, oportebat: Messalam peritissimum esse omnium eorum, quae gerantur in republica, itaque omnia accuratissime posse enarrare: ideo se cum eo litteris certare nolle. Contra vide, quo deflectat hic declamator. Qui cum locum quaereret eloquentiae Messalae laudandae, subito incipit de elegantia orationis, qua ille utatur, dicere. Quasi vero illud aut Ciceronem probabile sit scripturum fuisse ad Brutum, qui ipse erat omnium litterarum peritissimus, aut res ferat. Ad ea, quae gerebantur Romae, explicanda opus erat, ut Messala nosset primum, quae gererentur, deinde ut vellet narrare: certe minime curabat Brutus, num ea eleganti oratione sibi narrarentur nec ne. Aliud si quid requirebatur, erat judicium sanum et prudentia, ut Messala praevideret quasi, quae consecutura essent, qui principum animus esset, quae voluntas. Eam cum recte Cicero h. l. in Messala laudare posset, non laudavit. Nec magis recte apponitur *qui deferre ad te potest.* Quam enim inepta est haec sententia: *accuratissime omnia tibi narrabit Messala, qui ad te deferre potest.* Deferre enim dico eum, quem scio ad aliquem venturum, sed, quem dico explicaturum, eundem delaturum addi inutile est. Nisi forte etiam ad deferendi verbum pertinet adverbium *eleganter*, ut rursus de elegantia etiam deferendi dicatur, quasi morum quadam elegantia utatur Messala, qua adire homines soleat. Denique ipsum *expediendi* verbum ea, quae hic est, potestate a Ciceronis et bonorum latinitatis auctorum usu alienum esse arbitror. Expediuntur negotia, quibus impediti sumus, res explicantur. Tacitus (Annal. IV, 1) dicit *expedire originem et mores*, itemque Sallustius (bell. Jugurth. 5, 2) *initium expedire*, et Virgilius vetustioresque poëtae, nunquam Cicero aut ii, quorum oratione in eo explicando recte uti possimus. Illam significationem spretam ab aureae latinitatis scriptoribus argentea demum latinitas repetivit.

Tum haec sunt: *Cave enim existimes, Brute — cave putes, probitate, constantia, cura, studio reipublicae quicquam illi esse simile*; quae quomodo recte dicta esse videri possint, non intelligo. Sententiae enim continuatio haec est: Messala omnia novit eaque elegantissime Bruto explicare potest, cujus rei causa haec est, quod eximia est probitate, constantia, cura, studio reipublicae. Tu potius aut ea existimares nominari, quibus contineretur elegantia explicandi, aut vigilantiam et industriam in republica, non eas virtutes, in quibus hoc inest, ut Messala videatur libertatem reipublicae tuitus esse nec descivisse ad triumvirorum partes. Nam etiam *studium reipublicae* non eo pertinebit, ut multum versatus sit in republica, sed ut liberam rempublicam conservare studuerit, quae nimirum sola respublica videbatur Ciceroni. Deinceps vitium grammaticum animadverto. Sunt enim haec: *ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur*, in quibus apparet passiva significatione usurpari gerundium, id quod

ita apud Ciceronem non erit admittendum. Quattuor omnino apud eum loci sunt, ubi id fieri videatur, in Verr. lib. 1, 18 et p. Flacc. c. 32 in verbo *censendi, censendi causa* et *censendo*, quae vetera erant et communi usu recepta dicendi genera nec mutari licebat, tum Epp. 9, 25, 2 *ades ad imperandum*, quo loco ipse Cicero addit, ita veteres esse locutos [1]); denique Tuscul. 1, 23 *principium movendi* in eo verbo, cujus etiam activum constat nonnunquam intransitive poni. Qui omnes loci ab hoc de quo agimus diversi sunt.

Quamquam in hac ipsa sapientiae plus apparet. Sic enim scribit de Faërni conjectura Ernestius, et scribit necessario; aut, si defendas *sapientia*, soloecismus admittetur, cum *plus* sit positum pro eo quod esse oportet *magis*. Nunc sententia modo falsa. Dixerat enim admirabilem esse Messalae eloquentiam: jam minuens eam laudem particula *quamquam* sapientiae plus in ea esse dicit i. e., si ulla in hac tanta obscuritate et cogitandi confusione inesse potest recta sententia, eloquentia Messalae habet non tam eas virtutes, quibus proprie continetur eloquentia, quam sapientiam, Messala non tam eloquens est quam sapiens. Ac demonstrat deinde eam, quam parum recte vocat, sapientiam: *Ita gravi judicio multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi:* Messalla cum ingenio minus valeret in eloquentia, intellexit tamen, quod optimum ejus esset genus in eoque *multa arte* [2]) se exercuit. Vide igitur, quantopere Messalae eloqentiam, quam laudaturus est, ipse minuat. Nec in prava hac sententia meliore oratione videtur uti. Nimirum *verissimum dicendi genus* merito jam displicuit Marklando p. 110, qui ita aut dixisse quemquam veterum aut dicere potuisse negabat. Eum vituperavit C. F. Hermannus eo, de quo supra dixi, libello p. 13, non ita quidem ut quemquam alium bonum auctorem ita dixisse demonstraret, sed ut ratiocinatione aliqua ostendere studeret recte id dictum esse. *Verum* enim idem esse ait quod *rectum, justum*, et ut Cic. Phil. 10, 2 dicat *recte scribere*, et in Bruto c. 90 *justam eloquentiam*, item dici posse *verissimum dicendi genus.* Quae quidem minus recte mihi videntur esse disputata quam debuit fieri. *Verum* enim cum sit contrarium ei quod, cum videatur esse, non est, vel id quod quia est, ita esse oportere intelligimus, duplicem habet significationem, unam quasi intransi-

1) Memorabilia sane sunt in hoc genere, quae dicit: *Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius: sic enim antiqui loquebantur.* Antiqua erat in foro et curia formula *ades ad imperandum* i. e. ades ut tibi imperetur; sed addit Cicero nunc dicendum esse *ades ad parendum* i. e. ut pareas, quo gerundium servet activam potestatem. Est autem ille locus non recte impugnatus, quasi insertum aliquid esset a librariis; *sic* conjungendum esse cum illo, quod est *ad imperandum*, recte statuit Orellius.

2) Dubito an etiam *multa arte* possit reprehendi, pro quo expectes potius *magna arte.* Multa enim ars est ea, quae saepe ostenditur, qua frequenter opus est. Ita Cic. p. Sulla 26, 73 *haec diu multumque et multo labore quaesita una eripuit hora,* ubi ipsa *una hora,* quae opponitur, ostendit *multum laborem* eum esse, qui saepe consumptus sit. Item Cic. de orat. 2, 53, 214 *multa et varia et copiosa oratione.* At haec potestas hoc loco, quo potius demonstratur, quanta arte, quam quotiens arte usus sit Messala, parum apta est. Aliud et par est et constat esse *multum laboris* i. e. multum laborem quasi in unum collatum.

tivam, alteram transitivam. Itaque cum dicitur *vera amicitia* (Cic. Lael. 6, 22), dicitur ea, quae non vocatur modo ita aut videtur, sed ea quae est amicitia, vel, si judicium adhibitum significare velis, ea, quam esse oportet amicitiam. Ita *vera, gravis, solida gloria* apud Cic. Phil. 5, 18, 50 vel *verum decus* apud eund. de rep. 6, 22 est id, quod non videtur modo esse decus, sed quod est, quodque ob eam ipsam rem quia est, esse oportet. Altera transitiva, quam dixi, significatio rectissime ex adverbio *vere*, qualis sit, perspicitur. Id enim ubi conjungitur cum verbis transitivis, dupliciter potest intelligi: ut cum dicitur *vere scribo*, potest esse, aut non videri modo me scribere, sed facere ut scribam, aut id quod scribo, esse verum, quarum potestatum illa est intransitiva, haec transitiva. Itaque Cic. p. Sext. 34, 74 de L. Cotta, qui in senatu censuerat, Ciceronem auctoritate senatus esse revocandum, dicit eum *verissime sensisse* i. e. sensisse vel censuisse ea, quae prorsus vera essent, ea, quae et ita se haberent et ita se habere oporteret. Eademque transitiva significatio potest valere in iis substantivis, quae a verbis transitivis deducta sunt, ut Cic. Phil. 12, 2, 5 P. Servilii *sententias* nominat *verissimas gravissimasque* i. e. sententias complexas esse id quod verum esset vel censuisse eum id, quod verum esset. Jam cum dicitur *verissimum dicendi genus*, intelligimus hoc non posse transitive dici, quia *genus* non est substantivum actionem aliquam significans, sed oportere intransitive. Erit igitur *verum dicendi genus* id quod non videatur modo esse genus dicendi, sed quod sit. In quo quis non videt, quale sit genus, non dici? Quare, si antecedat certi alicujus dicendi generis commemoratio, concedo posse dici *verum dicendi genus* ita quidem, ut et malam et bonam eloquentiam significet, ut verum dicendi genus per se ipsum pro certo aliquo eloquentiae genere ponatur, id nego et posse fieri et fieri [1]. Hoc certe constat, nondum ullum locum Ciceronis inventum esse, quo similiter dicatur.

Deinceps haec sunt: *Tanta autem industria est, tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio (quod in eo summum est) gratia habenda videatur.* Primum pauca dicam de verbis. Nam cum dicit *tantum evigilat in studio*, eloquentiam, opinor, dicit. Sed quis eam simpliciter dixit studium, non addito aut adjectivo aliquo aut genitivo aut denique pronomine? Immo oportebat esse *in studio suo*. Scio equidem, saepe *studia*, plurali numero, dici cum de aliis doctrinae generibus, tum de eloquentia, ut frequenter Quintilianus. Sed nunquam ita ponitur singularis. Unus locus est apud Ciceronem, qui similis esse videatur, in Cat. maj. 14, 49 *Si*

1) Illud vero quale sit intelligere nequeo, quod Hermannus, quoniam *verum* nonnunquam idem sit ac *justum, aequum*, atque *justa eloquentia* apud Cic. Brut. 90, 309 inveniatur, *verum* dicendi genus defendit. Quasi vero, cum constet saepe *aedes* idem esse ac *domum* (vel, si accuratius loquare, posse pro eadem re haberi; vix enim duo vocabula sunt, quae idem prorsus significent), etiam si de domo alicujus i. e. de origine ejus et genere dicas, aedes possis substituere! Omnes tales rationes speciosiores solent esse quam veriores.

vero habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute jucundius, sed in eo et *studium atque doctrina* conjungenda sunt, quasi sit *studium doctrinae*, nec unum certum genus studiorum dicitur, ut h. l. eloquentia. Tum moleste fero, quod *gratia habenda esse* dicitur eloquentiae Messalae. Ciceronem videlicet servarat eloquentia sua Messala, ut ille vel ingenio vel industriae gratiam habere deberet? An quae alia causa erat animi grati? Nimirum declamatoris haec sunt, qui in studiis et in umbra versans, si quis quid invenit, ei se gratiam debere existimat, non ejus, qui omnia ad actionem et ad rem gerendam refert. Sententia vero hoc loco efficitur prorsus praeclara. Elequentiam Messalae laudaturus est hic, quisquis fuit. Sed ejus laude minuta substituerat sapientiam, quam dicebat, qua item contempta jam industriam hominis praedicat, quae tanta sit, ut ingenio non maxima gratia i. e., opinor, non ita magna tribuenda sit. Quod ipsum ingenium tamen simul summum cum dicat, quis non quaerat, ubi et quale esse potuerit, si omnia in sapientia et industria posita sint? Quae cum ita sint, quis possit ex his aut eloquentia Messalae qualis esse judicetur, cognoscere aut laudem omnino ullam ejus invenire? [1])

Praetermissis jam reliquis, quae de Messalae laude dicuntur, in quibus verba ipsa non sunt offensioni, sententia, quod *studia haec* i. e. eloquentiam Bruto quam sibi notiorem esse dicit, Ciceroni parum convenit, pervenimus ad haec: *Quem cum a me dimittens graviter ferrem.* In his non modo apud Ciceronem, sed apud omnes bonos latinitatis auctores non ferendus est graecismus. Latine oportebat esse: *Quem cum a me dimittendum esse graviter ferrem* vel *quem cum a me discedere graviter ferrem* vel similiter. Non in latinitate quidem, sed in totius sententiae compositione peccatur in iis quae sequuntur: *Hoc levabar uno, quod ad te, tamquam ad alterum me, proficiscens et officio fungebatur et laudem maximam sequebatur.* Causae quae Ciceronem de Messalae discessu consolarentur, poterant esse aut hae tres, primum quod ad M. Brutum, qui alter quasi i. e. amicissimus Tullii esset, proficisceretur, deinde quod officio suo fungeretur, tum quod laudem maximam sequeretur, aut solae duae, quas posteriore loco posui. Has duas proprie solas cum afferre vellet hic declamator, ne tamen amicitia, quae inter Brutum et inter Ciceronem fuit, praeteriretur, tertiam illam ita intulit, ut ineptus fieret. Quid enim aliud interjecto illo *tamquam ad alterum me* significari potest nisi causa quasi quaedam, cur officio fungatur et laudem sequatur Messala, quasi latine ita dicas: *ad te proficiscens, quoniam alter ego es, et officio fungebatur etc?*

---

1) Cicero ipse quid de Messala judicarit, ignotum est; Quintiliani X, 1, 113 hoc memorabile est judicium: *Messala nitidus et candidus et quodammodo prae se ferens in dicendo nobilitatem suam: viribus minor,* idemque XII, 10, 11 *dignitatem* Messalae laudat. De eodem Senec. Controv. II, 12 p. 191 *Fuit Messala exactissimi ingenii in omnes quidem studiorum partes, latini utique sermonis observator diligentissimus.* Inde maxime hic declamator, qui has epistolas finxit, et *verissimum dicendi genus,* quod pertineret ad latinitatem diligentissime observatam, et *industriam,* quo exprimeretur *ingenium exactissimum,* videtur effecisse.

Jam respondere incipit falsarius iis, quae Bruti nomine libr. 1, 4 scripserat: *Multo equidem honestius judico, magisque quod concedere possit respublica, miserorum fortunam non insectari, quam infinite tribuere potentibus, quae cupiditatem et arrogantiam incendere possint. Qua in re, Cicero, vir optime ac fortissime mihique merito et meo nomine et reipublicae carissime, nimis credere videris spei tuae, statimque ut quisque aliquid recte fecerit, omnia dare ac permittere. — Quae tua est humanitas, aequo animo te moneri patieris, praesertim de communi salute: facies tamen quod tibi visum fuerit, etiam ego, cum me docueris.* Haec ipsa ita vides esse instituta, ut alterius epistolae fingendae occasio quaereretur [1]). In principio autem hujus partis epistolae duae res sunt, in quibus merito haereamus. Primum enim est: *Venio — ad quandam epistolam, qua mihi multa tribuens unum reprehendebas,* ubi oportet esse *in qua mihi multa tribuens.* Neque enim totam epistolam Brutus Ciceronis laudibus consumpserat, sed partem modo ejus. Deinde ferri non potest *nisi fortasse* pro eo, quod esse oportet *nisi forte.* Vide Handii Tursellinum Tom. II p. 728. Sed utrumque horum vitiorum librariorum culpa videri potest esse illatum, non profectum ab eo, qui haec scripsit. Quamquam illud, quod dubitat quasi Cicero, utrum Brutus sibi nimiam severitatem objecerit nec ne, parum convenit cum iis quae Brutus scripserat, satis aperte vituperans, quod Cicero C. Antonium in Macedonia captum, ut qui patriae esset hostis, interfici jubebat. Deinceps haec sunt: *Quod si ita est, utriusque rei meum judicium tibi cupio esse notissimum, neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus fuit ex septem [2]) et legum scriptor solus ex septem.* In his primum animadverto inscitiam latinitatis in verbo usurpandi. Quod enim est *Solonis dictum usurpem* nec Cicero nec quisquam alius bonus scriptor ita dixerit. *Usurpare dictum* est saepe eo uti, usu quasi terere

---

1) Tunstallus in epistola ad Middletonem p. 203, minus recte responderi putat ad ea, quae Brutus ad Atticum criminatus erat libr. 1, 17: *nescio quid scribam tibi nisi unum, pueri (i. e. Octaviani) et cupiditatem et licentiam potius esse irritatam quam repressam a Cicerone etc.* Vide autem quam discrepent hominum de dicendi genere judicia. Tunstallus enim hanc ipsam epistolam, quam totam et imperite institutam et parum latine scriptam esse demonstraturus sum, narrat quibusdam ante se viris doctis et propter compositionis artificium et propter sententiarum gravitatem prae ceteris omnibus placuisse. Nec, quoniam etiam pravissimum quidque admiratores suos habere solet, non credo: quamquam nomina illorum judicum nescio.

2) Vituperaverat etiam hoc Marklandus p. 130, quod *sapientissimum ex septem* hic diceret Solonem, cum de Legg. 2, 11 Thales sapientissimus ex septem nominetur. Eo nomine acerrime vituperatus est ab Hermanno p. 46, qui tamen ne ipse quidem satis recta ratione utitur. Ait enim in his superlativis non magis argutandum esse, quam si Cicero in litteris commendaticiis modo hoc modo illo homine *uno omnium familiarissime* se uti scribat, vel ab aliis alia petens eodem tempore *gratius sibi quicquam accidere posse* neget. Est enim, quod differat inter utrumque genus. In historia quidem judicanda esse decet constantem. Ut quis simul et P. Scipionem et Caesarem dicat summum ex imperatoribus Romanorum, aut et Hortensium et Ciceronem eloquentissimum ex oratoribus Romanis? At in vita communi facile judicia secundum tempora mutantur. Quamquam sane talia minus urgenda, quam faciendum esse putabat Marklandus.

vulgusque usurpat dictum aliquod, cum multum in ore habet. Qui autem eo *utitur* ad judicium suum confirmandum, is non recte dicitur id usurpare. Deinde constructio hujus loci impeditior nec sane recta: *cupio tibi judicium meum esse notissimum, neque solum ut* i. e. *idque non solum ita ut Solonis dictum usurpem.* Deest aliquid in medio, ut *idque tibi non solum ita explicabo, ut.* Quamquam enim *cupio tibi esse notissimum* significat facturum me ut explicem, tamen non eo valet, ut sit idem possitque addi, quod necessario ad explicandum pertineat. Verum gravius longe quam haec, quae modo dixi, illud est, quod in ipsa sententia positum est. Cum dicit, se Bruto utriusque rei i. e. praemii et poenae, judicium suum explicaturum, dicturus, opinor, est, quid universe de praemio et de poena judicet. Augetque disputationis suae expectationem, quod addit, non ita modo se dicturum, ut Solonis dicto utatur, poena et praemio imprimis contineri rempublicam (et sane inepta futura erat ea disputatio, si id modo proferret, in praemio et poena maximum momentum esse positum ad rempublicam recte gerendam, neque adderet, qua ratione utraque res esset administranda), verum, (sic enim est cogitatione supplendum) sua ipsum ratione ad certum aliquod judicium perventurum. Hac igitur tanta quasi praefatione usus nihil dicit de universa ratione praemiorum et poenarum; *sed non de tanta re*, inquit, *propositum est hoc loco disputare.* Quae quidem temeritas tanta est, ut Ciceroni tribui non possit.

Devenitur igitur huc: *Quid ego autem secutus hoc* (i. e. Mutinensi) *bello sim in sententiis dicendis, alienum non puto aperire.* Rursus primum grammatica videamus. *Alienum* nunquam apud Ciceronem ita poni puto, ut non addatur, a quo quid alienum sit. Quare additur aut dativus aut ablativus aut praepositio *a* aut denique genitivus, ipsa significatione paululum variante; nunquam fit, ut nihil addatur [1]). Vide C. G. Zumptii grammat. § 470. At argentea latinitate coeptum est ita dici *alienum est*, ut Quintil. 8, 1, 2 *hic non alienum est admonere*; id. 12, 9, 14 *tradere non alienum videtur;* id. 1, 5, 68 *non alienum fuerit exigere.* Itemque Cornel. Nep. Milt. 6 *non alienum videtur docere.* Quare Ciceroni certe non videtur convenire *alienum non puto aperire,* pro quo praeterea expectes *tibi aperire*, non *aperire* solum; scribit enim epistolam, non librum aut quod omnibus innotescere velit. Verum minora haec: illud majus, quod est in ipsa sententia. Profitetur enim hoc, opinor, Cicero, quam rationem praemiorum et poenarum decernendarum in bello Mutinensi secutus sit, se expositurum. At alia omnia deinceps narrat, primum in caede Caesaris quid praetermissum sit, deinde de Antonio et Lepido qui rempublicam occuparant, tum de sua ab urbe profectione, tum de Bruti fuga, tum de reditu suo et quomodo obviam iverit Antonii conatibus. Tandem inde ab eo loco, ubi haec sunt: *Huic habiti a me honores nulli quidem etc.* incipit primum de praemiis, post de poenis dicere. Hoc quis ferat in

1) Nam apud Cic. de offic. 2, 23: *omnium rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi nec alienius quam timeri,* a qua re alienum sit timeri, intelligendum est ex eo quod antecedit *aptius ad opes tuendas.*

Cicerone? quis in quoquam, qui epistolam scribat? Quid enim ea scriberet Bruto, qui ea omnia optime nosset, qui, si non ipse interfuerat iis rebus, saepe audierat cum ab aliis tum ab Cicerone ipso. At declamatorem sane haec decent, ad eloquentiam ostendendam et inanes quasdam verborum formulas eleganter componendas aptissima.

Verum videamus etiam magis ex propinquo haec, quae a declamatore profecta esse nemo, qui totius epistolae rationem consideret, negabit. *Post interitum Caesaris et vestras memorabiles Idus Martias, Brute, quid ego praetermissum a vobis quantamque impendere reipublicae tempestatem dixerim, non es oblitus.* De M. Antonio amicisque Caesaris dicitur, quibus τυραννοκτόνοι pepercerant. Saepe enim significat Cicero, non unum Caesarem fuisse tollendum, sed adjutores etiam regni, quo in genere maxime memorabilia sunt, quae dicit in Philipp. 2, 14, 34 *si enim fuissem* (in numero conjuratorum), *non solum regem, sed regnum etiam de republica sustulissem et, si meus ille stilus fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem*, et Epp. 12, 4 init. ad Cassium: *Vellem Idibus Martiis me ad coenam invitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiae vestrae exercent et quidem praeter ceteros me.* Atque hic locus, in quo hic declamator maxime tamquam bonus quidam augur, quod non factum esset, queri posset, est omnino ex iis, in quibus habitet. Vide Epp. ad Brut. 1, 10 et 2, 7 [1]). Haec autem Antonii ceterorumque Caesaris amicorum caedes praetermissa est Idibus Martiis, tum cum C. Trebonius Antonium, ut servari posset, seduxit, non post Idus Martias. Oportebat igitur esse: *Praeclaris vestris Idibus Martiis quid ego praetermissum a vobis dixerim* vel similiter. Altera enim ratio, ut *post Idus Martias* pertineat eo, quod Cicero illud dixit, satis inepta est. Quomodo enim aliter ac post Idus Martias diceret Cicero, caedis, quae parabatur, ignarus?

Sequuntur nonnulla de statu reipublicae Romanae, qualis post interitum Caesaris fuit (cf. libr. I, 4 extr.), in quibus nihil est, quod vituperem, praeterquam quod *uterque* i. e. Antonius et Lepidus, dicitur *pacem metuens* fuisse, cum oporteat esse *pacis metuens;* neque enim id uno et certo tempore fuisse dicuntur, sed ea natura fuisse, ut pacem ferre non possent. Sed hoc levius; sententia ipsa quomodo deinde procedat, memorabile est: *His ardentibus perturbandae reipublicae cupiditate, quod opponi posset praesidium, non habebamus. Erexerat enim se civitas in retinenda libertate consentiens.* Ideone civitas carebat omni praesidio, quia se erexerat? Etenim *erigere se* quid valeat, docet ipse Cic. in Philipp. 10, 4, 9: (Brutus) *quoad vos omnia pati vidit, usus est ipse incredibili patientia: posteaquam vos ad libertatem sensit erectos, praesidia vestrae libertati paravit* i. e. postquam vos vidit animos cepisse ad libertatem recuperandam, timore, qui affligere solet homines, deposito et fortitudine sumpta statuisse libertatem defendere.

---

1) Itaque non est cogitandum de aliqua alia re, quae post Idus Martias omissa sit, quamquam Cic. ad Att. 15, 11, 2 *Multo inde sermone querebantur, atque id quidem Cassius maxime, amissas occasiones Decimumque graviter accusabant.* Nam de Decimo si quid vellet hoc loco Cicero, nominandus erat.

Itemque Cic. Philipp. 10, 10, 21 *Pansae delectus urbem totamque Italiam erexit* i. e. incitavit eam, ut pro libertate consurgeret; rursusque idem Cic. Phil. 4, 1, 2 *nunc vero multo sum erectior, quod vos quoque illum* (i. e. M. Antonium) *hostem esse tanto consensu tantoque clamore approbavistis* i. e. multo ipse sum alacrior ad libertatem tuendam. Itaque conjungit etiam Cic. Cat. maj. 20, 75 *animus alacer et erectus*, et *se erigere* eadem significatione est apud Cic. p. Dejot. 14, in Rull. 2, 32, 87, saepius. Quare confitendum est, eum qui haec scripsit, aut nescisse latine, cum depressam et afflictam fuisse civitatem dicere vellet, aut male eum usum esse particula *enim*, quorum neutrum in Ciceronem cadere potest.

Verum ejusdem temeritatis simillima indicia sunt in iis, quae sequuntur. *Nos tum nimis acres* i. e. Cicero vel solus vel cum amicis suis. Primum hoc contra historiam. Nam ubi tandem Cicero, antequam in Graeciam abire cogitavit, nimium acer fuit? Qui cum triduo post necem Caesaris in aede Telluris suasisset pacem et ἀμνηστίαν, continuo mense Aprile exeunte [1]) in villas suas abiit et rusticando atque otiando dum tempus terit, ubi turbari rempublicam accepit, in Graeciam proficisci constituit, ex quo medio itinere cum in urbem revertisset, tum, sed vix tum quidem acer factus est in republica i. e. in Antonium invehi coepit. Ac M. Brutus et C. Cassius diutius adeo in urbe remanserunt quam Cicero, qui cum in suburbano esset, ab Attico accepit de plausu Cassio dato in theatro (ad Attic. 14, 2), tum in Puteolano versans M. Brutum audiit Lanuvium se recepisse (ad Att. 14, 10). Quare cum Cicero ante M. Brutum et C. Cassium urbe excesserit, falsum est, quod in hac epistola scribitur: *vos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis*, quae ita dicta sunt, quasi ipse Cicero diutius Romae remanserit. Ut haec falsa, item quae sequuntur: *Italiae sua vobis studia profitenti remisistis.* Pertinent enim haec ad id tempus, quo Brutus et Cassius desperata re publica non urbe modo, sed Italia discesserunt: verum discesserunt, posteaquam Cicero Romam rediit; vidit enim hic ipse Brutum Veliae profectionem in Achajam parantem. Nec in his quidem latinitas satis recta est. Quis enim dicat: *Italiae* s u a *vobis studia profitenti remisistis?* Quasi vero aliena remittere potuerint! Quare prorsus, si quid in hoc tam malo scriptore non videretur posse admitti, emendarem *summa vobis studia.* Quod autem sequitur *Itaque — excedendum putavi*, rursus ostendit, Brutum dici ante Ciceronem excessisse Italia [2]).

Ut in his, quae modo dixi, maxime sententiarum rerumque, quae gestae sunt, quaedam confusio offensioni fuit, ita in iis, quae sequuntur, maxime latinitas ipsa parum recte se habet: *Sed animus idem, qui semper infixus est in patriae caritate, discessum ab ejus periculis ferre non potuit.* Etenim potest caritas patriae infixa esse in animo, non potest animus infixus esse in

1) Vide Cic. ad Attic. 14, 1 et reliquas, quae deinceps tempore eam epistolam excipiunt.

2) Conferenda sunt cum his, quae disputavit Tunstallus in epistola ad Middletonem p. 208 sqq.

caritate. Imaginem constat proprie sumptam esse ab telo, quod in aliqua re infigitur, ac telum illud, quod infigitur, est caritas, res, quae percutitur telo, est animus: contra dici non potest, nec dixit quisquam. Cic. Phil. 2, 26, 64 *infixus in animo haeret dolor;* Cic. p. Cluent. 6, 17 *hoc, quod in communibus hominum sensibus atque in ipsa natura positum atque infixum est;* de fin. 5, 10, 27 *est enim infixum in ipsa natura* (ut omne animal se ipsum diligat). Quare cum parum latine dicatur *animus infixus in caritate*, potuerit aliquis emendare *defixus.* Sic enim dicitur: Cic. Phil. 14, 5, 13 *ii qui omnes suas curas in reipublicae salute defigunt;* Cic. Acad. 2, 15, 46 *adversatur enim primum, quod parum defigunt animos et intendunt in ea, quae perspicua sunt, ut quanta luce ea circumfusa sint* (sic enim scribendum esse censeo, non *sunt) possint agnoscere*[1]). Ex quibus hoc constat, quod idem ex ipsa verbi natura colligitur, animum posse defigi. Ac potest adeo defigi in patriae caritate, si nihil cogitet praeter caritatem, si nihil aliud curet, num salva sit respublica, num hoc vel illud geratur, dummodo amet patriam. Quamquam ipsa haec sententia minus hoc loco apta est. Neque enim ideo Cicero non discessit ab patria, quia nimis eam amabat, sed quia aliquid se existimabat ad ejus salutem adjuvandam posse conferre. Quanto igitur rectius verus Cicero illo, quem citavi, loco dicit *animum* vel *curam defigi in salute patriae;* poterat etiam *in republica* vel *in patria*, non poterat *in patriae caritate*[2]).

---

1) Comparandus est huic loco alius apud Cic. de nat. deor. 1, 19, 48 *cum infinita simillimarum imaginum species ex innumerabilibus individuis existat et ad deos affluat cum maximis voluptatibus, in eas imagines mentem intentam infixamque nostram intelligentiam capere, quae sit et beata natura et aeterna.* Qui locus etsi ita est dissimilis huic epistolae Ciceronianae loco, ut ad eum firmandum adhiberi nequeat, ita est similis alteri, ut non dubitem, quin scribendum sit *intentam defixamque.*

2) Utar autem hoc occasione, ut ejusdem Philippicae quartae decimae locum vicinum emendem. Sunt enim ibi §. 15 haec: *Cum, ut scitis, hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret, inflati laetitia atque insolentia impii cives, unum se in locum, ad illam curiam, viribus potius suis quam reipublicae infelicem, congregabant. Ibi cum consilium inirent de caede nostra partirenturque inter se, qui Capitolium, qui rostra, qui urbis portas occuparent, ad me concursum futurum civitatis putabant.* Duae res ibi falsae. Primum *viribus suis* omnes interpretes negant ferri posse; negant item, ullam emendationem, quae proposita sit, probandam esse; in codicibus autem aut *viribus* legitur aut omittitur vocabulum, maxime in utroque Barberino, quem contulit Garatonius. Quare Muretus scripsit *potius suis, quam reipublicae.* Quae facillima sane est ratio, sed parum codicum auctoritati ipsique sententiae conveniens. Equidem emendo *regibus potius suis quam reipublicae.* Dicitur curia Pompeja, in qua interfectus erat Caesar, quem regni affectati a Cicerone insimulari constat. Tum *rostra* Faërni conjectura est, cum in codicibus omnibus sit *ostia,* sed comprobavit illam Garatonii auctoritas. Nec tamen dubito equidem quin *Ostia,* colonia Romana, recta sit, aut demonstrent illi mihi, rostra ejusmodi fuisse locum, quem qui teneret, urbem Romam in potestate sua teneret. At qui arcem urbis, tum ejus portas, denique portum i. e. Ostiam (propter frumenti subvectionem maxime necessariam ad salutem urbis) occuparat, sane dominus reipublicae erat.

Deinceps haec sunt: *Itaque in medio Achaico cursu cum Etesiarum diebus auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilii, retulisset, te vidi Veliae doluique vehementer.* Res ipsa satis recta est; profectum enim esse constat Ciceronem a. d. VIII. Id. Sext. (Cic. ad Att. 16, 7), de Etesiis autem sic docet Plin. nat. hist. 2, 47: *Exoritur Caniculae sidus, sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies XV ante Augustas Kalendas est. — Post biduum autem exortus iidem aquilones constantius perflant his diebus, quos Etesias appellant — nec ulli ventorum magis stati sunt. Post eos rursus austri frequentes usque ad sidus Arcturi, quod exoritur undecim diebus ante aequinoctium auctumni.* Itemque recte dictum sit *Etesiarum diebus*, quamquam ipso hoc Pliniano loco videtur significari, potius *Etesiis* dicendum fuisse. Sed alterum superest, quod ferri nequeat. Nimirum expressus est totus hic locus ex Ciceronis epistola ad Cornificium (Epp. 12, 25): *iratus temporibus in Graeciam desperata libertate rapiebar, cum me Etesiae, quasi boni cives, relinquentem rempublicam prosequi noluerunt austerque adversus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit,* nec tamen ita expressus est, ut non vitium aliquod admissum sit. Scripsit declamator *in medio Achaico cursu,* cum esse oporteat *ex medio cursu* vel *de cursu.* Quem enim venti referunt *in cursu,* non ad eam terram, unde conscendit, rejiciunt, sed ita rejiciunt in ipso cursu, ut pars cursus, quam jam confecerat, rursus sit emetienda. Cicero autem cum circiter quadringenta stadia a Leucopetra processisset, rediit Leucopetram, inde Romam. Quare recte et ut debuit, Cicero ad Plancum (Epp. 10, 1) scribit: *posteaquam de medio cursu reipublicae sum voce revocatus.*

Grammatice recte dicta sunt, quae sequuntur: *Cedebas enim, Brute, cedebas, quoniam Stoici vestri negant, fugere sapientes,* sed sententia parum apta est. Expressa haec sunt ex Cic. Phil. 1, 4, 9 *Atque ego celeriter Veliam devectus Brutum vidi; quanto meo dolore, non dico. Turpe mihi ipsi videbatur, in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet* etc.; et Phil. 10, 4, 8 *Eundem vidi postea Veliae, cedentem Italia, ne qua oriretur belli civilis causa propter se.* Eodemque cedendi verbo usus est in epistola ad Hirtium (ad Att. 15, 6, 2). Hinc cum mutuaretur hic declamator, male illud quasi philosophans addidit de sapientibus, qui non fugerent, qua re vituperat Bruti consilium. Atqui ipse ejus auctor extiterat (vide ad Att. 15, 11) defenditque factum in Phil. 10, 3. Verum haec dicat tamen fortasse aliquis esse ferenda, quia vituperatio Bruti minus expressa sit: illa, quae insequuntur, nullam habent excusationem: *Romam ut veni, statim me obtuli Antonii sceleri atque dementiae, quem cum in me incitavissem, consilia inire coepi Brutina plane (vestri enim haec sunt propria sanguinis) reipublicae liberandae.* Hoc, opinor, dici oportebat, Ciceronem, cum Romam venisset, statim resistere coepisse Antonio, ei occurrisse: aliud dicit declamator usus verbo offerendi. Sumptum id est ab sacrificiis, quae diis offeruntur, ut iram suam ab eo, qui offert, in id, quod offertur, avertant; itaque usurpatur de iis, qui pro amico aliquo vel pro republica periculum aliquod suscipiunt, ut Cicero Milonem dicentem facit (pro

Mil. 34, 94) *qui pro te totiens morti me obtuli*, et in Catil. 3, 12, 28 *qui se pro salute vestra obtulerint invidiae periculisque omnibus;* non potest deesse id, pro quo aliquis se offerat, nisi velit *periculis se offerre sine causa* (Cic. de offic. 1, 24, 83). Quare *Cicero M. Antonio se obtulit* hoc est, M. Antonium jam antea fuisse iratum Ciceroni eumque quaesitum non potuisse invenire, dum se ipse offerret, quibus contraria sunt, quae adduntur: *quem cum in me incitavissem.* Fecit igitur ipse Cicero, ut Antonium in se incitaret. Tum vitupero *consilia Brutina*, quae esse oportet *Brutiana.* Sic enim *Brutiana castra* Vellej. 2, 72; *Brutianae Cassianaeque partes* id. 2, 74; de eodemque Bruto Lactant. 2, 7 extr. *Brutianum bellum civile.* Etenim consueta omnino terminatio adjectivorum ab hominum nominibus deductorum est *ianus*; sicubi aliter invenitur, dubia est lectio, ut apud Suet. Claud. 1 *fossa Drusina* haud scio an emendandum sit ex Tacit. Annal. 2, 8, qui recte nominat *fossam Drusianam.* Altera illa terminatio *inus* in nominibus Romanis in certa cognationis gentilis significatione constitit: in peregrinis quidem nominibus non raro admittitur. Vide C. G. Zumpt. grammat. §. 254. Denique vereor, ut satis Ciceroni conveniat *vestri haec sunt propria sanguinis.* Dicitur *consanguineus*, dicitur *sanguine conjunctus* (Cic. de invent. 2, 53, 161), non dicitur *sanguis* ita, ut gentem et familiam significet, a scriptoribus quidem, nam poëtis licere notum est. *Sanguis* ubi transfertur ab eo, quod proprie significat, est vis, id quod efficit ut sentiat aliquid et moveatur. Ita Cic. ad Att. 4, 16, 9 *sanguinem civitatis*, et in Verr. libr. 3, 36 *sanguinem aerarii* dixit, notusque ille usus in arte rhetorica, quo idem est, quod vires. Neque utitur Cicero hoc vocabulo eo loco, unde haec expressa sunt, Philipp. 4, 3, 7, ubi est *Brutorum genus et nomen.* Concluditur autem haec pars epistolae, quam ego totam extra propositum male additam esse demonstravi, his verbis: *Longa sunt, quae restant, praetereunda*, quae male ita dicta esse apertum est. *Multa* praetereunda erant Ciceroni, quia erant de Cicerone: tempus quidem, quo factae sunt res, fortasse fuerit longum, res certe non longae, sed frequentes et multae. An volebat sic: *longa sunt, quae restant, quae praetereunda sunt?* Sed primum haec contra sententiam, quam esse oportet; neque enim dicit esse praetereunda, quia longa sint, sed quia sint de se: tum quis illa ferat ista ratione contrahi?

Jam tandem incipit de honoribus Caesari adolescenti decretis dicere: *Ut enim primum libertatem revocare coepimus, cum se nondum ne Decimi quidem Bruti divina virtus* [1]*) ita commovisset, ut jam id scire possemus, atque omne praesidium esset in puero, qui a cervicibus nostris avertisset Antonium: quis honos ei non fuit decernendus?* Quod tempus dicatur, intelligitur ex Cic. Phil. 14, 7, 20 *memoria tenent, me a. d. XIII. Kal. Januarias principem revocandae libertatis fuisse*, unde haec expressa sunt, item reliqua ex his apud Cic. Phil. 4, 9, 25 *qui primus Antonii immanem et foedam crudelitatem non solum a jugulis nostris, sed etiam a membris et*

1) De Octaviani *incredibili ac divina virtute* dicit Cic. Phil. 13, 9, 19.

visceribus avertit, et Phil. 5, 16, 42 *dandae cervices erant crudelitati nefariae.* Pauca igitur in medio relinquuntur, quae propria hujus epistolae vocari possint, iisque peccatum est. Non urgebo *virtutem, quae se commoverit.* Quamquam vereor, ne parum latine ita dictum est. Commovere enim in malam partem usurpatur, ut sit aut labefactare, aut ad iram et indignationem incitare, aut denique terrorem injicere: aliter quomodo dici possit, nescio equidem. Sed non urgebo hoc: illud vero, quod est *ut jam id scire possemus*, quid esse dicemus? Quid tandem scirent homines consecuturum ex virtute Decimi commota? Inepte prorsus haec apposita sunt ab homine, qui inanem verborum sonum quaereret, sententiae incuriosus.

In honoribus ipsis, qui Octaviano tributi sunt a Cicerone, primus erat in *laude verborum* positus, quam appellet hoc loco *modicam*, quamquam non ita modica sunt, quae dixit in Philipp. III et IV; sed dixerit ita h. l., ut causae serviret; de imperio decreto deinde haec sunt: *Decrevi etiam imperium, quod, quamquam videbatur illi aetati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. Quid enim est sine imperio exercitus?* In his haerens Manutius emendabat *nimis honorificum*, sine causa, ut equidem judico. Expressa enim haec sunt ex Cic. Philipp. 5, 16, 45 *Demus igitur imperium Caesari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest. — Qui honos quamquam est magnus illa aetate, tamen ad necessitatem rerum gerendarum valet*, et Phil. 11, 8, 20 *Aut exercitus adimendus aut imperium dandum fuit. Quae est enim ratio aut qui potest fieri, ut sine imperio teneatur exercitus?* Quae ipsa imitans hic declamator cum paululum suis viribus uti coepisset, in errorem incidit. Nam illa *quid est sine imperio exercitus?* vix quisquam audebit defendere. Exercitus quidem etiam sine imperio est exercitus, sed imperator sine eo nullus est nec potest exercitum tenere. Itaque hoc ipsum, teneri non posse exercitum sine imperio, Cicero locis, quos supra laudavi, dixit.

Statuam Philippus decrevit. De hac statua equestri aurata Octaviano decreta cum taceat Cicero, narrant App. bell. civ. 3, 51; Vellej. 2, 61, sed a Philippo, Octaviani vitrico, eam decretam esse novum est, sed verum sit. Tum *celeritatem petitionis primo Servius, post majorem etiam Servilius*, in quibus plura nova, sed non credibilia. Et illud quidem, quod a Servio primo celeritatem petitionis decreta esse dicitur, jam Tunstallus p. 211 reprehendit merito. Nam Cic. Phil. 5, 17, 46, ubi imperium Octaviano decernit, simul decernit *senatorem esse sententiamque loco praetorio dicere ejusque rationem, quemcunque magistratum peteret, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore quaestor fuisset*, eaque addit ad excusandum illum inusitatum honorem, ut appareat a Cicerone primo eam sententiam dictam esse, ut ante legitimum tempus Octaviano honores petere liceret. Ut hoc falsum, item illud, quod ab Servilio (i. e. P. Vatia Isaurico, eo, qui saepe a Cicerone in Philippicis commemoratur) *majorem celeritatem* honorum petendorum decretam esse dicit. Etenim ab ipso Cicerone decretum esse vidimus, ut honores Octaviano petere liceret, quasi anno superiore i. e. aetatis suae undevigesimo quaestor fuisset. Jam Cicero

ipse, quem suo i. e. legitimo anno omnes honores consecutum esse constat, cum anno 76 a. Chr. quaestor Lilybaetanus fuisset, consul factus est anno 63 a. Chr. i. e. duodecimo, vel si Romanam rationem numerandi sequare, tertio decimo anno post, annos natus quadraginta duos. Quare quod Cicero initio decreverat, idem est atque id, quod App. bell. civ. 3, 51 et Dio Cass. libr. 46, 29 tamquam summum, quod datum sit Octaviano ab senatu, afferunt, ut decennio ante legitimum tempus consulatum petere liceret, vel si quod forte biennii discrimen efficitur, id non a nova sententia de eadem re dicta, sed a senatus consulto paulo aliis verbis concepto repetendum est.[1]) Quare nulla omnino *major* petitionis celeritas videtur esse decreta.[2])

Dictum est de honoribus Octaviano decretis, deinceps dicitur de Decimo Bruto. In quo rursus agnoscas declamatorem, qui ea persecutus sit, quae verus Cicero M. Bruto certe non fuerat scripturus. Si enim M. Brutus querebatur de nimiis honoribus a Cicerone decretis, non querebatur, quod Decimo decreti essent, socio consiliorum et adjutori tollendae dominationis, sed querebatur, quod Octaviano, quod Lepido, quod ceteris, qui Caesaris interfecti partes defenderent. Hoc igitur purgandum erat, non ea rhetorum more adornanda, quae declamator hic scripsit. Quid enim vere purgatur hoc loco? quae ratio redditur honorum decretorum? „Notam esse in fastis gratissimae victoriae sempiternam volebam." Eam nimirum in contione vel etiam in senatu cum plausu audientium afferre poterat, Bruto autem in ratione reddenda consiliorum suorum haec scribere, in quibus ratio quidem nulla, sed id modo est, quod effici voluerit, nonne ineptum est? At haec ipsa de Decimo Bruto videndum est, qua ratione annectantur prioribus. *Nihil tum nimium videbatur*. Excusat igitur consensum omnium senatorum, qui cum M. Antonius urbi immineret, nihil non concedendum esse existimarent Octaviano, ut is perniciem depelleret. Et hoc quidem recte excusat: ducebantur enim omnes eo timore. Tum: *Sed nescio quomodo facilius in timore benigni quam in victoria grati reperiuntur* i. e. plus solent homines in periculo largiri, quam post depulsum periculum praestare. Hac igitur ratione purgari se posse putabat Cicero M. Bruto, si post victum Antonium gratiam referendam fuisse diceret? Haec qui rerum hominumque, quales illis temporibus erant, condicionem vel mediocriter nosset, nec aptum declamando campum quaereret, scribere non potuit. Nonne haec potius sequi oportebat? „Post victoriam autem Mutinensem quid tandem concessimus Octaviano, quod nimium vocari possit?

1) Omnino Appianus et Dio Cassius quod narrant, dubito, an magis ex sui temporis consuetudine quam ex senatus consulto, quod tum de Octaviano factum est, dixerint. Sub imperatoribus ita in filiis et nepotibus principis solebat decerni, ut quinquennio vel decennio ante legitimam aetatem honores petere liceret: in libera republica, cum honorum ordo accuratius servaretur, non memini ita decerni consuevisse.

2) Atque haec ipsa *petitionis celeritas*, quamquam non nego dici ita breviter et concise, dubito tamen, num extra epistolae familiaritatem dici possit. Neque enim certe *petitio* ita usu continetur in honoribus, ut, si de ea dicas nec, quo referatur, antecedat, non de alius etiam rei petitione cogitari possit. Ac quam in his epistolis dicendi genus non sit familiare, jam supra dictum est.

Quid non fecimus, ut Decimum Brutum extolleremus partesque nostras confirmaremus?" Haec vel similia dici oportebat, si omnino diceretur de eo tempore, quod post Antonium victum fuit. Neque enim ea quae tum gesta sunt a senatu, aut poterat vituperare M. Brutus aut vituperavisse eum scimus. Nimium enim parcum in honoribus decernendis tum Ciceronem fuisse constat, nimis ingratum senatum. Verum operae pretium est, haec ipsa, quae de honore Decimi Bruti narrantur, accuratius persequi: *Ego enim, D. Bruto liberato, cum laetissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur, in eoque sum majorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiae tribuerunt, cui vos pontifices ad aram in Velabro*[1]) *facere soletis.* In his quaeritur primum, num Cicero tributum D. Bruto hunc honorem a senatu dicat an se modo decrevisse, non comprobatum esse senatus consulto. Hoc ut existimemus, et particula *enim*, a qua sententia incipit, postulat et quae paulo post sunt *Atque illo die cognovi* etc. videntur significare. Sed desidero dici illud ipsum, ceteris senatoribus, quod proposuisset Cicero, non placuisse. Praeterea perfectum *decrevi*, non videtur id significare, quod non est comprobatum a senatu, pro quo potius esse oportebat *decernebam*. Verum hoc, quamquam satis magnum per se est, levius est prae reliquis. Nam illa *cum laetissimus ille civitati dies illuxisset idemque casu Bruti natalis esset* quis, quaeso, potest recte intelligere? Quis dies erat laetissimus? quis illuxit? Num is quo Brutus liberatus est? At est *Bruto liberato* i. e. postquam Brutus liberatus est cum ille dies illuxisset. Quis igitur potest hinc colligere, D. Bruti die natali victoriam Mutinensem Romam nuntiatam esse? Sic enim narrat Cic. Epist. 11, 14, 3 *Nam die tuo natali victoria nuntiata in multa saecula videbamus rempublicam liberatam.* Nec etiamsi dixisset *cum dies ille, quo victoria nuntiata est, illuxisset, decrevi* aut *cum dies ille illuxisset, quo victoria nuntiata est*, rectum esset. Nuntiatam enim esse constat Romam victoriam vesperi fere [2]), nec si quid extremo aliquo die factum est, potest id dici accidisse, cum dies illuxisset i. e. cum prima lux, primus dies esset. Nimirum male haec expressa ex Cic. Phil. 1, 12, 30 *Quem potes recordari in vita illuxisse tibi diem laetiorem, quam cum expiato foro te domum recepisti.* Deinde si decrevit Cicero hunc honorem Bruto, patet non potuisse eum decernere nisi in senatu, qui nullus fuit illo die, quo nuntiata est victoria, nec potuit haberi. Decrevit igitur proximo senatu, qui fuit is, quo Philippicam quartam decimam Cicero habuit. In ea autem oratione et in sententia, quae in ea extrema est, omnes res et honores tum decretos complectente

---

1) Fuit nonnullis etiam hoc faciendi verbum offensioni, cui addi volebant *sacra* vel *sacrificium*, quod ipsum additur in paucis libris manuscriptis. Sed consimile est ex vero Cicerone ad Att. 1, 13, 3 *Credo te audisse, cum apud Caesarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum.*

2) Vide Cic. Phil. 14, 6, 16.

nullum talis honoris vestigium, nulla significatio; nec magis in illa ad D. Brutum epistola, quam supra citavi, in qua, quid post nuntium victoriae allatum factum sit, Cicero exponit. Itaque totus hic honos male ementitus est a declamatore aliquo, qui memorabile est, quantopere etiam in ipsis verbis peccet. Neque enim, si Cicero vellet illum honorem habere Bruto, quem non habuit, satis erat in fastis ascribi nomen Bruti, sed ascribi primum ipsam victoriam Mutinensem, tum addi Bruti nomen et natalicia [1]), ut id, quod praecipuum est, omissum sit. Illud vero *Larentiae* exemplum ineptissimum est. Primum non est verum; nam quamdiu libera fuit respublica, nullius nomen in fastis ascriptum est nec invenitur ullius in iis, qui supersunt, ne Accae Larentiae quidem, nisi quod a Verrio Flacco in fastis Praenestinis pauca de ea addita sunt, ut demonstraret, qua de causa a. d. X. Kal. Jan. Larentalia fierent. Sunt enim ibi haec: *Accae Larentinae sacrificium. Remi et Romuli nutricem, Faustuli conjugem, alii meretricem, Herculis scortum fuisse dicunt, quod populum Romanum heredem fecerit magnae pecuniae, quam acceperat ex testamento Tarvillii amatoris sui.* De eademque Larentia sic Varro de ling. lat. 5, 3 *Feriae publicae Larentinae. Is dies, quem quidam in scribendo Larentalia appellant, ab Acca Larentina nominatur, cui sacerdotes nostri publice parentant. — Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulchrum Accae etc.* et Gellius 6, 7 *populum Romanum bonis suis heredem fecit. Ob id meritum a flamine Quirinali sacrificium ei publice fit et dies e nomine ejus in fastis additus* [2]). Atque etiamsi ita esset, ut statuitur hoc loco, Larentiaeque nomen ascriptum fuisset in fastis propter singulare aliquod meritum, quis credat haec ita Ciceronem ad M. Brutum scribere potuisse et dicere a *majoribus* id esse factum, quod totum in fabulis esse uterque nosset! Orationem ista et plebem deceant, familiarem epistolam et philosophos non decent. Tum quod *pontifices* dicuntur sacra facere Larentiae, inscitiae documentum est manifestissimum: pontifices praesunt toti religioni, non sacrificant. Quare in locis, qui modo allati sunt, quod Gellius narrat fecisse flaminem Quirinalem, idem Varro tribuit sacerdotibus. Denique *aram* fuisse Larentiae nemo veterum tradidit nec fuisse ullam, quae proprie diceretur (nam sacrificatum esse ad aram ultro patet nec id separatim commemorandum erat), ex ipso Varroniano loco, quo supra usi sumus, intelligimus. Itaque jam Ernestius ea verba tamquam male a librariis inserta, deleri volebat. Explicatur deinde, cur Cicero illum nominis in fastis ascribendi honorem D. Bruto tribuerit: *Quod ego cum dabam Bruto, notam esse in fastis*

1) Ut est in fastorum reliquiis quae supersunt: *Hac die Caesar ad Hispalim vicit, hac die Divus Julius natus est,* similia.

2) Quem Gellii locum si quis cum his, quae dicuntur a Cicerone scripta esse, conferat, quis non adducatur prope in eam suspicionem, ut Gellium male intellectum his tot tantisque erroribus causam praebuisse existimet? Quamquam illa suspicio est mera; potuit enim declamator etiam aliorum scriptorum, qui nobis non servati sunt, locis decipi.

gratissimae victoriae sempiternam volebam, in quibus rursus video sententiam corrumpi. Quid enim est illud: „Cum decernebam, ut Bruti nomen in fastis ascriberetur, hanc notam in fastis sempiternam esse volebam"? Quasi vero nonnullae notae in fastis non sint sempiternae? Itaque natum est id, quod in plerisque codicibus invenitur, in quibus est *sempiternam memoriam.* Tum constat sententia, sed rectior et elegantior esset, si sic scriberetur: *memoriam gratissimae victoriae sempiternam esse volebam.* Denique hic locus de D. Bruti honore sic concluditur: *Atque illo die cognovi, paulo plures in senatu malevolos esse quam gratos*, in quibus jam Ernestius offensus emendabat *multo plures.* Nam idem dicitur quod fuit supra *Nescio quomodo facilius etc.*, post victoriam mutatos esse hominum animos et cum omnia antea concessissent imperatoribus, tunc voluisse quam minima. At *paulo plures* sunt *non multo plures* i. e. idem prope numerus. Quare esse oportebat aut, quod Ernestius volebat, *multo plures* aut *aliquanto plures.*

Tum dicitur de aliorum honoribus: *Eos per ipsos dies* (i. e. eos qui secuti sunt victoriam Mutinensem) *effudi (si ita vis) honores in mortuos, Hirtium et Pansam, Aquilam etiam.* Ex iis quidem, qui nobis supersunt, scriptoribus nihil notum est de eximiis honoribus Hirtio et Pansae tributis. Quorum corpora cum Octavianus Romam misisset (App. bell. civ. 3, 76), elata sunt funere publico, ut par erat. Vide Liv. epit. libr. 119, Vellej. 2, 62. Pontium quidem Aquilam, qui sua pecunia D. Brutum ad conducendos milites adjuverat, cum in proelio Mutinensi cecidisset, praeterea columna honoratum esse narrat Dio Cass. libr. 46, 40. Aliud nihil scimus, in quo effusio honorum cerni possit. Atque etiamsi aliquid magnum his esset tributum, cur vituperaret ea M. Brutus, quae in suarum partium socios (et Aquila fuerat adeo inter conjuratos) conferrentur [1])? Denique qua tandem ratione nimios illos honores Cicero hoc loco excusat? Videlicet eadem declamatoria, qua usus erat supra, quod voluerit *in crudelissimos hostes extare monumenta odii publici sempiterna*, quae quam non ferenda sit in hoc epistolarum genere et ad Brutum, jam dictum est.

Reditur ad Octavianum, nimirum ut ordo temporis in honoribus decernendis servetur. *Suspicor, illud minus tibi probari — quod ut ovanti introire Caesari liceret, decreverim.* Novum hoc, quod Octaviano a Cicerone ovatio decreta esse dicitur, nec tamen ejusmodi, quod probabile sit. Non credo equidem Drumanno, qui in historia Romana hujus temporis Part. I p. 320, spretis auctoritatibus Livii (epit. libr. 119), Vellej. 2, 62, Dionis 46, 40, Zonarae 10, 15 negat D. Bruto triumphum esse decretum a senatu. Probabile est, cum Antonium sublatum esse crederet, senatum in ornando D. Bruto eo processisse, ut ei summum bellicum honorem concederet, praesertim cum ejusdem nomine decretam esse supplicationem constet ex Cic. Epist. 11, 18. At Octaviani nomen deerat in hac supplicatione, et consentiunt omnes auctores Caesari

1) Recte autem Orellius in iis, quae sequuntur, corrigit *reprehendet* pro eo, quod est *reprehendit.*

cupienti nihil a senatu, qui jam contemnere Caesarem coepisset, concessum. Nec certe usum eum esse ovatione illa, si qua ei aliquando oblata est, constat ex Sueton. Octav. c. 22. Qui, si rem recte consideres, ne potuit quidem illo tempore concupiscere triumphi aliquod genus, cum et spreta omni vanitate honorum, similis in ea re patri suo Caesari, unum jam consulatum sequeretur et Antonii amicitiam appetere inciperet, futuram difficiliorem ad assequendum, si triumphum de eo egisset. Quare cum nec alius quisquam veterum idem narret nec res aut per se ipsa probabilis aut Octaviano optabilis fuerit, ex declamatoris ingenio videtur esse profecta, qui cum nosset, ex duobus bellis civilibus ab eo ovationem habitam esse, unam in hoc bellum Mutinense transtulit. Neque est obscura causa, cur haec ita a Cicerone decreta esse fingantur. Sunt enim deinceps haec: *Ego autem — nihil mihi hoc bello videor sensisse* [1]) *prudentius. Cur autem ita sit, aperiendum non est, ne magis videar providus fuisse quam gratus.* Quibus quid significari dicamus? Hoc opinor, multo ante se praevidisse, Caesarem altiora petiturum esse ideoque, ut vel sibi vel reipublicae caveret, multos et insignes honores in eum contulisse. Atque haec Ciceronis prudentia, quam ex historia, qualis a bonis et locupletibus auctoribus traditur, nullam fuisse scimus nec eum magis consilia Octaviani pervidisse quam ceterorum quemquam, cum laudanda et demonstranda esse videretur, totum illud de ovatione decreta additum est. Quamquam id dum agitur, rursus exciditur ex eo, quod toti huic epistolae propositum est. Duae enim, credo, causae erant, quibus Cicero nimios honores, quos decreverat, Bruto excusare posset, ut aut demonstraret, fieri non potuisse, quin ita decernerentur, aut ita e republica fuisse doceret. Priore illa ratione cum supra usus sit in honoribus ante M. Antonium victum decretis, in altera, quae hoc loco explicanda erat, deflectit ad ineptias. Ait enim se eam utilitatis rationem exponere nolle, ne non gratus esse videatur. Quasi vero hac gratia referenda M. Bruto satis facere potuerit!

Dictum jam supra erat de Decimo Bruto et de summo honore post victoriam Mutinensem ei habito, ut satis de eo expositum esse existimes. Verum incredibili quadem temeritate, qui haec scripsit, ad eundem D. Brutum refertur, quem dum cum L. Planco conjugit, diversarum partium homines, in quibus honore ornandis non idem sentire M. Brutum par erat, male componuntur. *D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Planco*, nonne ita prorsus se habent, quasi supra nihil fuerit de Decimo? Tum *Praeclara illa quidem ingenia, quae gloria invitantur, sed senatus etiam sapiens etc.*, quibus nihil potest esse ineptius. Valeat causa hic allata in L. Planco, certe non valet in D. Bruto, qui tantum aberat, ut invitandus esset ad eam, quam Cicero dicebat, rem-

---

1) Eodem hoc *sentiendi* verbo in hac paulo rariore *censendi* significatione utitur Cicero ad D. Brutum (Epist. 11, 21, 2) *Sed tamen cum ego sensissem de his, qui exercitus haberent, sententiam ferri oportere, iidem illi qui solent reclamarunt.*

publicam adjuvandam, ut ipse totius belli causa extitisset. Nec jam illum ut reipublicae salutaris esset, in ea causa alacriter versari oportebat, sed ut sibi ipsi suaeque vitae consuleret. Grammatice quidem nihil in his displicet, nisi quod praeclara dicuntur ingenia, *quae gloria invitantur;* neque enim sic recte dici existimo, nisi addatur, ad quam rem ingenia invitentur. Dicitur latine invitare aliquem aliquis, si ad se eum invitet, notaque formula in amicis ad convivia corrogandis; inde transfertur nonnunquam ad alias res, ut Cic. Lael. 26, 99 *quamobrem, quamvis blanda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant et invitant* i. e. ad se, ut se adeat; itemque de finibus 5, 6, 17 *constitit — id in quo prudentia versaretur — esse tale, ut ipsum per se invitaret et alliceret appetitum animi.* Quare ferrem etiam si diceretur gloria aliquem invitare i. e. incitare, ut ipsam gloriam adipisci studeat: contra hoc loco non ad gloriam petendam dicuntur invitari praeclara ingenia, sed ad rempublicam et libertatem tuendam, nec hoc ipsum, ad quam rem invitarentur ingenia, omitti debuit.

Concluditur totus hic de honoribus locus iis, quae M. Lepido decreta erant. In quibus ut nihil fere invenio, quod minus latine dictum esse judicem, ita sententia omnis parum recta videtur esse. Nec enim certe videtur facturus fuisse M. Brutus, ut senatum in Lepido reprehenderet; cui praeter laudem verborum quid tributum est nisi statua illa, quae ei propter Sexti Pompeji restitutionem decreta est (Cic. Philipp. 5, 15, 14)? Quae quidem statua, postquam M. Antonium fugientem recepit et copiis suis recreavit, eversa hic esse narratur, quod cum non tradatur ab alio, est tamen probabile, quia prid. Kal. Quintil. anni 43. eum constat omnibus sententiis hostem a senatu judicatum esse (Cic. epist. 12, 10, 1). Neque illud urgebo, quod Tunstallus minus probabat in hoc loco, Lepido statuam esse decretam propter Sexti Pompeji restitutionem, hic ideo ei honorem tributum dici, ut *a furore revocaretur.* Quamquam hoc ipsum *a furore revocare* magis ab eo, qui elegantem aliquam sententiam quaereret quam qui veritatem rei sequeretur, videtur esse profectum; neque enim est vere dictum. Qui revocatur a furore, fuit quasi jam furiosus: at Lepidus cum ei statua decerneretur, longissime a malis consiliis aberat firmissimumque libertatis praesidium putabatur. Quare verus Cicero ad D. Brutum (Epist. 11, 18, 2) non dicit furere, nisi postquam bellum cum Antonio inferre coeperit: *Quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum reipublicae indiceret?* Quae quantopere ab his, quae personatus Cicero dicit, differant, in aperto est. Atque hic Lepidus nimium omnino in omnibus his epistolis exagitatur. Graviter sane, sed breviter verus Cicero ad Cassium, qui et in eodem prorsus periculo ac Brutus erat positus et eadem affinitate cum Lepido conjunctus, haec scribit (Epp. 12, 8, 1) *Scelus affinis tui Lepidi summamque levitatem et inconstantiam ex actis — cognosse te arbitror,* et ad eundem paulo post (Epist. 12, 10, 1): *Bellum quidem, cum haec scribebam, sane magnum erat scelere*

et levitate Lepidi, idemque *homo ventosissimus* appellatur a D. Bruto in Epist. 11, 9, 1. At in his Brutianis epistolis incredibiles de eo excitantur tragoediae. Vide I, 10 et 12 et 14 et 18 et II, 2 [1]).

Altera pars epistolae est de poenarum ratione, quam Cicero in sententiis dicendis secutus sit. Hic ipsum initium parum apte videtur institutum. *Nunc de poena pauca sunt dicenda.* Num proposuerat sibi Cicero disputare de poena, ubi puniendum et quatenus et qua ratione puniendum esset? An rationem, quam ipse in poenis decernendis tenuisset, explicare volebat? Quare quoniam non philosophorum ratione de universa poena, sed de pluribus sententiis poenas statuentibus dicturus est, certe *de poenis* esse oportebat. Quamquam omnino oblitus videtur esse declamator, quam ob causam hanc totam disputationem instituisset. Neque enim se excusat aut sententias suas defendit, sed vituperare incipit M. Bruti in captos hostes clementiam, eamque tamquam causam constituit, cur de poenarum ratione dicere coeperit. Pergit enim sic: *Intellexi enim ex tuis saepe litteris etc.* Conferatur maxime ea Bruti epistola, quae in hoc libro est quarta. Quae reliqua sunt in hoc poenarum loco, satis latine video esse scripta vel satis bene ex variis veri Ciceronis locis esse concinnata, quamquam unde quidque sumptum sit, demonstrare nequeo. Unum quidem vituperaverat Gruterus, qui negabat latinum esse *documentum statuere, ne quid fieret.* Contra quem docte et ita, ut persuaderet, disputavit Gronovius in Observationibus IV, 11 p. 648 ed. Platner. Causae vero, quibus se ductum esse ait, rursus sunt ejusdem generis ac quibus antea erant excusati nimii honores, speciosae illae quidem ad declamandum, ad demonstrandum nullae et M. Ciceroni ad M. Brutum scribenti parum convenientes. Vituperasset Brutus nimiam quandam Ciceronis pertinaciam, qui eo, quod Antonium hostem judicandum et bellum contra eum decernendum esse vehementissime contendebat, multos etiam bonos cives a sua causa

---

1) Hac quidem in ultima epistola eo proceditur a declamatore, ut adeo ante pugnam Mutinensem (nam dicitur in ea epistola de Bruto expediendo, deque eo vehementer timeri) levitas et inconstantia Lepido tribuatur. *Lepidi*, inquit, *tui necessarii, qui secundum fratrem affines habet quos oderit proximos, levitatem et inconstantiam animumque semper inimicum reipublicae jam credo tibi ex tuorum litteris esse perspectum.* Sententia, si quid video, est haec, Lepidum secundum fratrem maxime in odio habere affines i. e. Brutum et Cassium; nam sororem M. Bruti unam Lepidus habuit in matrimonio, alteram C. Cassius. Vide Vellej. 2, 68 et Tac. Annal. 3, 76. Vituperat in his recte Marklandus in Observat. p. 161 sqq. primum, quod ante pugnam Mutinensem Lepidus tamquam levis et inconstans notetur, tum quod Paulum fratrem odisse dicatur. Quem cum proscriptum esse constet a Lepido (App. 4, 12), intelligit, sapientiae cujusdam ostendendae causa hic odium fratris Lepido tribui. Latinitatem quidem non recte reprehendit Tunstallus in epistola ad Middletonem p. 229, cum ἀρχαϊκῶς πλεονάζεσθαι dicit; sed oportebat esse *a fratre proximos.* Sic Cic. Orat. 64, 217 *proximus a postremo*, et sic oportet esse, quia non dicitur latine *prope sum secundum aliquem*, sed aut *alicui* aut *aliquem* aut *ab aliquo*.

avertisset. Sed praetermissis his declamator, postquam sententiolas nonnullas argutas composuit nec ullam certam rem commemoravit, properat ad locum egregium sane in justa oratione ad commiserationem movendam, sed qui in ea familiaritate epistolarum, quam inter Brutum et inter Ciceronem intercedere oportebat, inveniri non potuit. Neque vero ipsa res, de qua locus ille male conflatus est, aut tradita ab ullo alio aut per se ipsa probabilis. Dicitur enim de liberis Lepidi, quos, cum pater hostis judicatus bonaque publicata essent, splendore fortunae privari necesse erat. Quod si ipse declamator dicit et antiquum esse et omnium civitatum, addo ita fuisse solitum et necessarium, ut nihil prorsus de eo talem quidem in modum dici oporteret. Commendaret sane sororis liberos Ciceroni M. Brutus; ut crudeliter in eos agi existimaret aut quicquam mutari vellet, fieri non potuit. Nec in C. Cassii, quem item Lepido affinem fuisse supra dictum est, ad Ciceronem epistolis, quae aliquot supersunt, de Lepidi liberis aut in M. Antonii liberis ab ejus amicis incusari et a Cicerone defendi video illam tamquam crudelitatem.

Ubi tandem is, qui has litteras scripsit, absolutis iis, quae ex rhetorum praeceptis ornari et amplificari poterant, redit ad sobriam rerum narrationem, continuo demonstrat, quantopere non modo latinitatis, sed cogitandi legum et elegantiae imperitus sit. Scribit enim sic: *Habes rationem mearum sententiarum, de hoc genere dumtaxat honoris et poenae. Nam de ceteris rebus quid senserim quidque censuerim, audisse te arbitror.* Quasi vero aut de honoribus et de poenis, quas sententias Cicero dixerat, non audiverit M. Brutus, ad quem acta senatus mittebantur (Cic. Epist. 12, 8 et 9) aut ideo suscepta fuerit haec disputatio, ut primum audiret ille, quae ante ignoraverat. Porro comicum poëtam, non serio scribentem Ciceronem decent, quae sequuntur: *Sed haec quidem* (i. e. opinor ea, quae de ratione honorum et poenarum scripta erant) *non ita necessaria; illud valde necessarium, Brute, te in Italiam cum exercitu venire quam primum.* Atque huic principio simillima sunt reliqua, quae de necessitate auxilii ferendi dicuntur, quae unde efficta sint et quomodo in iis effingendis peccatum sit, non difficile est demonstrare. Prima haec sunt *Quodsi Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium.* Haec facta secundum ea, quae leguntur in Ciceronis epistola ad Cassium (Epist. 12, 6, 2): D. Brutus *si conservatus erit, vicimus, sin — quod omen dii avertant — omnis omnium cursus est ad vos,* eademque expressa sunt in epistola decima libr. I. ad Brutum. Tum sequuntur haec: *Sive enim vicerimus (qui quidem pulcherrime viceramus, nisi Lepidus perdere omnia et perire ipse cum suis concupivisset), tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum: sive etiam nunc certamen reliquum est, maxima spes est cum in auctoritate tua tum in exercitus tui viribus.* Omnia haec expressa esse apparet ex iis, quae verus Cicero scribit ad Cassium (Epist. 12, 10, 2): *persuasum erat civitati, ut illum* (Dolabellam) *jam oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu, ut, si haec ex sententia confecta essent, consilio atque auctoritate*

tua; sin quid forte titubatum, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. — Praeclare viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium [1]. — *Persuade tibi igitur, in te et in Bruto tuo esse omnia. — Quodsi, ut spero, victis hostibus nostris veneritis, tamen auctoritate vestra respublica exurget et in aliquo statu tolerabili consistet.* Hinc dubium esse nequit, quin falsarius hic non sententiam modo, verum ipsa prope omnia verba sumpserit, qui ubi discedit ab iis, quae apud Ciceronem legerat, in manifesto statim deprehenditur errore. Nam Cicero quidem dixerat *praeclare viceramus*, hic *pulcherrime viceramus.* At Cicero nusquam *pulcher* et *pulchre* translata hac significatione dixit nisi cum irrisione aliqua, ut pro Murena 12, 26 *Praetor interea ne pulchrum se ac beatum putaret — ei quoque carmen compositum est*, nec invenietur locus ullus, ubi Cicero (nam de aliis scriptoribus et poëtis non recuso) serio loquens rem talem, qualis victoria est, pulchram dixerit. Tum in priore quidem parte disjunctae sententiae suae hic declamator, quod nihil de suo addidit, recte dixit, alteram dum more suo oratorie amplificat, corrupit. Scribit enim, si nondum devicto M. Antonio advenisset M. Brutus, opus fore ejus *cum auctoritate tum exercitu*, Cicero rectius omisit auctoritatem. Ea in bello nihil valet nisi ad continendum exercitum, quem senatus nullum habebat, at valet plurimum in pace; in eo enim posita est, ut homines dissentientes nulla vi adhibita cogat. Illa vero, quae additur adhortatio: *Sed propera, per deos. Scis enim, quantum sit in temporibus, quantum in celeritate*, prorsus ridicula est. In celeritate quidem plurimum est positum, in temporibus vel nihil vel omnia. Nimirum hoc quoque compositum secundum veri Ciceronis illam epistolam Cassianam, in qua haec sunt: *Persuade tibi, in te et in Bruto tuo esse omnia.*

Quod propositum nobis erat, ut totam hanc Ciceronis epistolam (qui enim reliqui sunt pauci versus, non recuso quin bene scripti esse videantur) perlustraremus et quid ubique aut in latinitate aut in sententia aut in rebus, quae commemorantur, peccatum esset, explicaremus, id absolvimus et hoc videmur nobis effecisse, ut Marklandi et Tunstalli plurimorumque omnino

1) Utor hac occasione, ut leve, sed praetermissum ab interpretibus, vitium in hac epistola tollam. Sequuntur enim h. l. haec: *Itaque nunquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto est Lepidus.* Neque enim latine dicitur *sum alicui odio*, sed *sum alicui in odio*, ut Cic. ad Att. 2, 21, 1 *nunc repente tanto in odio est omnibus, ut — horreamus;* ad Att. 14, 1, 2 *ego dubitem, quin summo in odio sim.* Quare in hac, de qua dico, epistola scribendum est *nunquam in tanto odio omnibus fuit*, contrario correctionis genere atque in Philipp. 14, 12, 33 *Actum igitur praeclare vobiscum — quod vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum* insepulta *esse poterit*, ubi Ferrarii artificium, quo vulgatam lectionem tuetur, nequaquam ferri potest. Oportet igitur esse *sepulta esse poterit.* Itemque emendandum erit apud Cic. p. Mur. 40, 87 *si nemini, ut levissime dicam, odio nec domi nec militiae fuit*, ubi esse oportet *in odio.* Aliud enim est esse *magno odio apud aliquem*, ut *odio* ablativus, non dativus sit, ut Cic. in Verr. Act. I, 14, 42 *Quo majore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debet, quam est apud populum Romanum.*

virorum doctorum de his epistolis judicium insigni exemplo confirmatum sit. Multis quidem locis etiam unde et quomodo haec male concinnata essent, demonstravimus. Quo in genere si cui videbimur minus satisfecisse, cogitabit necessario fieri, ut haec pars disputationis inchoetur potius quam perficiatur. Tot enim Ciceronis epistolae eodem tempore quo hae Brutianae scriptae perierunt, ut ad Octavianum, ad Pansam, ad Hirtium, ad alios, quarum ne memoria quidem ad nos pervenit, ut omnia inveniri totaque fraus detegi nequeat. Ac si verae Ciceronis Brutique epistolae extabant illo tempore, quo hae ementitae sunt (id quod probabile est), certe ex his plurima sumpsit hic falsarius, quicunque fuit, quorum originem nos latere necesse est. Verumtamen vel sic ex una re satis, quid in reliquis factum sit, poterit colligi.

Berolini, typis J. F. Starckii.

Lc 40.721
De M. Tullii Ciceronis ad M. Brutum
Widener Library 007047478
3 2044 085 197 820